TRACTATVS DE MISSA

tribus distinctus sectionibus. Quarum prima est de Sacramenti sanctissimi Eucharistiæ consecratione. Secunda de sacrificatione. Tertia uero de cõmunione. Quibus inserta est de satisfactione et purgatorio materia.

Continet autem sectio Prima. Assertiones decem, & totidem errores.
Secunda. Assertiones tredecim, errores uero decem & nouem.
Tertia. Assertiones nouem, quinq; erroribus inspersis.

Authore Gaspare Sasgero

SECTIONIS PRIMAE ASSERTIO

Prima de Caussa huius sacramenti effectiua.
Secunda de eius institutore
Tertia de caussa institutionis inductiua.
Quarta de Caussa finali.
Quinta de huius sacramenti materia.
Sexta de eius forma
Septima de horum pronominum, hoc & hic, demonstratione.
Octaua quid in hoc sacramento Christus nobis dedit.
Nona de sacramenti huius duratione.
Decima de reuerentia ei impendenda.


SECTIONIS SECVNDAE ASSERTIO

Prima de nouo Testamento. (citur
Secunda de promissione quæ in hoc sacramento esse di
Tertia de uerbis & factis Christi in cœna circa hoc sacramentum.

Octaua de huius sacrificij idoneo ministro.
Nona Pro quibus personis est offerendum hoc sacrificium.
Decima pro quibus caussis est offerendum.
Vndecima de abolitione omnis culpæ.
Duodecima de abolitione omnis pœnæ.
Tredecima Quod post tempus militiæ necessario ponendum est purgatorium.

SECTIONIS TERTIAE ASSERTIO

Prima de communione & usu huius sacramenti.
Secunda de modo sumendi sub una uel utraq; specie.
Tertia de sacramenti huius dispensatore.
Quarta de modo sumendi quo ad dispositionem sumentis.
Quinta an præmittenda communioni præparatoria.
Sexta de recordatione Testamenti.
Septima quid agendum sit sub missa.
Octaua in quo idiomate sit missa legenda.
Nona de fructibus communionis.





ANCTVS PROPHETA diuino afflatus spiritu, supernoq; illustratus oraculo, futurū quasi præteritum eructans, ait. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator dominus, escam dedit timentibus se. Præteritum quidem in præfiguratione. Præsens in æterna Dei sapientia & prouisione. Futurum uero in operis consummatione. Quo uerbo, donū quoddam innuit singulare, salubre, suaue & refectiuum à deo profluxisse, quandam uidelicet escam, cuius donator est misericors & miserator dominus, misericors in seipso, miserator in suo effectu, dominus, potens facere quæ uult.

Psal. 110.

Causa doni. Porro, caussa doni, est suorum mirabilium memoria. Contemplamur aūt in lumine fidei et scripturæ sacræ mirabilia diuinæ potentiæ in rerum de nihilo creatione, dicente apostolo. Fide credimus aptata esse secula uerbo uitæ, ut ex inuisibilibus uisibilia fierent. Mirabilia diuinæ sapientiæ in earū administratione & gubernatione. Mirabilia diuinæ iusticiæ in malorum (utpote angeli & hominis) deiectione & punitione. Mirabilia deniq; diuinæ bonitatis & misericordiæ in hominis lapsi reparatione, quæ nullis hominis lapsi meritis præambulis sed mera dei miseratione est facta. Hæc mirabilia omnia alia transcendunt,

Mirabilia diuinæ potētiæ. Gene. 1 Hebræ. 11.

Sapientiæ

Iusticiæ

Misericordiæ.

Siquidem

Siquidem in alijs deus suos effectus in his seipsum do=
nauit, ut non immerito & iustissime homo perpetuam
horum celebret memoriam. Quod aūt de mirabilibus
his intēdat Propheta, subiuncta indicant uerba. Sequi
tur enim· misericors & miserator· ut ipsum de miseri
cordiæ mirabilibus locutum intelligamus. Cæterum ut
esca hæc, mirabilium diuinæ misericordiæ perhennis
sit memoria, eam non uulgatam, hominibus bestijsq;,
aut hominibus bonis & malis cōmunem, uerum singu
larem & præcellentem esse necesse est. Deniq; quibus
parata sit determinat, dum substituit, timentibus se.
Est ergo esca hæc solis deum timentibus præparata et
usui proposita, nimirum esca est filiorum· nō mittēda
canibus. Quæ aūt alia præter altissimum Eucharistiæ
sacramētum esse poterit? quam nobis seruator noster
sanctus & benedictus in memoriam suorum mirabili
um sumēdam instituit, dicens· hoc facite in mei memo Lucæ. 22.
riam. Quia ergo esca hæc in memoriale nobis mirabi
lium operum diuinorum est donata, operepretium est
eam tanq̄ signum gratissimum, dulcissimū & amaro=
sissimum totis complecti uiribus, iugi tenēdum memo
ria, singulari amplexandum deuotione, & cottidiana
administratione frequentandū, & hoc fide certissima
spe firmissima, charitateq; feruentissima, ut sic pro
modulo nostro, tanto respondeamus largitori.

Quia autem sacramentum hoc superbenedictum,
generali ecclesiæ usu celebratur in missa (præmissa di

uinæ illustrationis imploratione) solers de missa habendum est scrutinium. Porro ne ambiguis uocum inuoluamur intellectibus, & missæ nomen in diuersas rapiatur interpretationes, nomine missæ utemur (secundũ generalem fidelium intellectum & ecclesiæ usum) pro officio missæ, quod ab introitu inciatur, et finali benedictione consummatur.

Missa duo cõplectitur Accessoria

Itaq; missa hoc modo accepta duo cõplectitur, uidelicet Accessoria & Principalia quasi essentialia. Accessoria, sunt solennitates & ritus in uestibus, paramentis altaris, orationibus, lectionibus, canticis, ceremoniis & similibus pro dei & altissimi sacramenti reuerentia, fidelium deuotione, & ipsius actus celebritate instituta. Cæterum principalia sunt tria, uidelicet consecratio, oblatio uel sacrificatio, & communio. Et quia hæc tria sunt quasi essentialia missæ præfato modo acceptæ, de his tribus principaliter habendus est tractatus. Necnõ in tres sectiones secũdũ hæc tria interscandus Ut sectio prima tractet de primordiali cõsecratõe Secunda de oblatione Tertia uero de cõmunione. Prima decidetur per assertiones .x. & iuxta .x. erroribus cõfutatis. Secũda per .xiij. subiunctis .xix. erroribus. Tertia deniq; Assertiones nouem continebit, cõdependentibus erroribus quinq;. Ante harum sectionum aggressum generalis quædam primũ mouenda & resoluẽda est quæstio. An uidelicet missa præfato modo intellecta sit à Christo instituta. Ad quam respõdendũ

Essentialia

Particio libri.

A quo sit missa instituta.

est

est affirmatiue, sed diuersimode. Essentialia etenim et principalia per se instituit ut uidebitur. Accessoria uero per ecclesiam indiuiduã suam sponsam, spiritusancto duce & inspiratore subordinauit, ad quod persuadendum septem adducẽda sunt motiua. Primum, quia omnia præfata ceremonialia sunt ad finem bonum debitum, & iustum ordinata, utpote ad Dei & altissimi sacramenti reuerentiam. Secundum. Originantur ex cordis synceritate quo ad ecclesiam instituentem. Quæ ut pia mater filios suos Deum deuote colere docet, non modo actu interiori, uerumetiam cultu deuoto exteriori, qui sensibilibus nititur signis, ut sic ex sensibilibus manuducãtur ad inuisibilia. Tertium quia prouocant fideles ad sacramenti reuerentiam & deuotionem. Connaturale etenim nobis est, ex obiectis exterioribus sensu apprehensis excitari & stimulari ad apprehendendum ea quorum sunt iudicia & manuductiua. Ex consequenti quoq; ad ipsa (si ut bona apprehenduntur) amanda. Quartum, quia solennitatem actus qui geritur ostẽdunt secundum exteriorem cultum, qui interiori quadrare debet. Et quia ingens esse debet interior erga illud præcellentißimũ sacramentum cultus (qui fide spe & charitate celebratur) debet & exterior ceremonijs & ritibus esse præcellẽs. Quintũ. Attestationes fidei sunt de sacramẽti huius ueritate, nisi enim certa fide crederetur ibi esse uerus & totus Christus deus & homo, tã præcellẽtes

Accessoria missæ Christus per ecclesiam instituit.

Primũ motiuum.

Secundum

Tertium

Quartum

Quintum

ceremoniæ, & tantus cultus circa hoc non esset institu-
Sextum tus. Sextum. Accendunt affectum ad amorem & desy-
derium Christi. Internus enim homo externis eget ad-
miniculis, et incentiuis obiectis, manuducentibus et ad
Septimum deuotionem prouocantibus. Septimum, quia in seipsis
nullam continent prauitatem, nullum errorem, scrip-
turæ quoq; diuinæ bene quadrant. Igitur sunt à caussa
bona et bono principio. Nam bonus effectus per se re-
duci in caussam malam non potest (teste saluatore) nō
Math. 7. potest arbor mala fructus bonos facere. Cum ergo spi-
ritussanctus omnium bonorum sit originale & fonta-
le principium, in ipsum omnia bona sunt transfunden-
Ioannis. 16. da & regerenda, qui secundum saluatoris promissum
Ioannis. 14 docuit & docet ecclesiam eiusq; membra omnem ueri-
tatem, & uniuersaliter omnia bona, salubria, deuota,
honesta, deograta & placita &c. non sola necessaria
ad salutem. Hoc spiritu, sanctus Paulus pleraq; ec-
clesijs tradidit obseruanda, circa hoc sacramētum, cir-
ca diuinum cultum, & circa alia plurima usq; ad mini-
1, Corin. 11. ma, ut in suis claret epistolis, signanter ad Corinthios
scribens, ubi ait. Laudo uos fratres q per omnia mei
memores estis, & sicut tradidi uobis præcepta mea te-
netis. Præcepta inquit mea, subiungens in fine capitu-
li. Cætera cum uenero disponam. & plura de hoc in-
terserens sacramento & eius institutione à Christo,
ac modo conueniendi. Cum uenitis inquam ad mandu-
cādum inuicē expectate, si quis esurit domi māducet.

Ex quibus luculenter apparet, non omnia instituta apostolica, literis esse mandata, sed uiua uoce expressa & temporum successu ad posteros usu & consuetudine deriuata. Nec oportuit omnia bona, honesta, salubria &c. commendare literis, sufficiebat sacris literis tradi necessaria, alia uero relinquere regimini spiritus sancti, qui gubernator, purificator, director & corrector est corporis Christi mystici, cuius proprius spiritus est, & omnium eius membrorum.

SECTIO PRIMA DE SACRA *menti huius consecratione.*

QVIA INTER PRAEMISSA TRIA, *consecratio sacramenti primum obtinet locum, tanq̄ aliorum duorum fundamentū, de ea primo est agendum, æque caussas atq; effectus et circumstantias indagando.* De qua sit.

ASSERTIO PRIMA EFFECTI *ue operantis indicatiua.*

Caussa prima effectiue illud sacramentum conficiens est diuina omnipotentia, theologice intellecta. Nā *nonnulli eleuati philosophi, deo siue primæ caussæ omnipotētiam tribuēre, a qua asseruerūt omnes effectus progredi & pendere, mediantibus tamen secundis necessario concurrentibus (eorum iudicio) uerum diuina scriptura opulentiorem nobis ostendit omnipotentiā, egredi potentem in omnem actionem & effectū caussandum, non implicantem cōtradictionem. Iuxta illud* *Caussa effectiua huius sacramenti*

Lucæ.1. Gabrielis archangeli: non erit impoßibile apud deum omne uerbum. Sunt etenim in illius sanctißimi sacramenti consecratione operationes omnem creatam uirtutem & facultatem transcendentes, qualitercunq; intelligatur fieri consecratio, siue quod maneat substantia panis & uini, siue quod transsubstantietur in corpus Christi & sanguinem. Est autẽ primus mirabilis effectus, quod sub modicis panis & uini particulis, est totum corpus Christi & totus sanguis, quia modo nõ sunt in partes diuisibiles. Secundus, quod Christi corpus & sanguis, siue ipse Christus est ibi inuisibiliter, ut à nullo corporali oculo uideri poßit, ut hic, scilicet sub illo essendi modo. Tertius. Licet Christi corpus sit quantitatiuum in se, non est tamen ibi sub modo quantitatiuo extensiuo ad locum. Nam ampliorem locũ nõ occupat, quàm particulæ corporis & sanguinis exigunt. Vnde modus essendi ipsius ut hic, non est physicus sed theologicus. Quartus, quòd est ibi ita uere & realiter præsens, sicut in cœlo empyrreo. Quintus, quòd simul est in pluribus locis. Nam est in cœlo empyrreo teste beato Petro Actorũ Apostolicorũ libro. quem scilicet Christũ Iesum oportet quidẽ cœlum suscipere usq; in tempora restitutionis omniũ quæ locutus est deus per os sanctorũ suorũ à seculo prophetarũ. Est nihilominus in omnibus locis in quibus celebratur, aut celebrata est cõsecratio, manẽtibus panis et uini particulis. Sextus, sunt ibi accidentia panis & uini sine subiecto, & hoc secun dum

Effectus mirabiles in hoc sacramento, primus.

Secundus

Tertius

Quartus

Quintus

Act.3.

Sextus

MENTI HVIVS CONSECRATIONE dum eam assertionem, quæ ponit substantiam panis et uini in corpus & sanguinē Christi transsubstantiari.

ERROR PRIMVS

Circa præmissa errant primo, qui ceremonias & solennitates missæ nō per spiritum sanctum institutas, sed humana inuenta esse affirmant. Humanum autem inuentum est, quod ab homine per spiritum suum proprium & propriū conceptū excogitatur. Et omne tale est figmentum, mendacium, falsitas, inanitas. Nam ab homine lapso, nullum ex propria natura bonum, deo gratum pullulat. Quia non potest arbor mala fructus bonos facere. Vnde saluator ait. Sine me nihil potestis facere. Et beatus Paulus. Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus aliquod cogitare à nobis, tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex deo est. Cum autem ceremoniæ præfatæ non sint tales, ut ostensum est. Infertur quòd non ab humano, sed diuino institutæ sunt spiritu.

Quid humanum inuentum sit.

Math, 7.

Ioannis. 15

2. Corin. 3.

Ad hoc accedit institutio diuina in lege Mosaica circa diuinum cultum, qua Deus decreuit omnia uasa. uestimenta, apparatus, & uniuersaliter quæque ad dictum cultum spectantia esse munda, ornata, preciosa, speciosa, à communi usu sequestrata.

Dices forte. Omnia hæc in figura contingebāt illis, Obiectio

Responsio. Admitto quod cultum uerū nouæ legis, qui in spiritu & ueritate geritur, figurabant. Verum non solum hoc, sed et per se cultus quadrare debuit, & Dilutio

debet pro modulo suo ei qui colebatur & colitur, ipsi
uidelicet deo, ut homo id quod melius habet diuino cul
tui applicet. Nisi forte quodlibet materiale diuino de
dicatum cultui, inane sit & inutile. Et omnis cultus ex
terior dei, superstitiosus & uanus iudicetur, cũ salua-
Ioannis.4. tor non dixerit. Venit hora quãdo ueri adoratores a-
dorabunt patrem in solo spiritu, sed absolute, sine ex-
ceptiua in spiritu & ueritate · quo uerbo non confu-
tauit aut reprobauit cultum externum, qui certo loco,
tempore certo, certis geritur ceremonijs & ritibus,
sed principalem ostendit cultum deo pãtri gratum &
acceptum in spiritu, sine quo externum non apprecia
tur. Porro si ambo concurrerint & internus & exter
Perfectus cultus dei. nus (cum inter se non discrepent) erit perfectus cultus
ex toto homine deo impensus. Facit ad hoc q̃ saluator
Lucæ.21. noster uiduam pauperculam cõmendauit de missione
duorum minutorum in Gazophylacium & in munera
dei, omnem scilicet uictum suum, pro diuino cultu su-
stentando. Sed & Mariam (quæ pedes suos unxit, &
fracto alabastro super caput suum, precicsum effudit
Math.26. unguentum) laudauit, dicens. Bonũ opus operata est in
Ioannis.12. me· et discipulos murmurantes per hoc cõpescuit, qui
Mar.14. prætextu pauperũ fremebant in eã. Hæc cõtra eos mi
litant, qui prætextu pauperum, omnia quæ in diuino
cultu habentur preciosa, carpunt quasi expensas inuti
les, nulla retributione à deo compensandas. Cæterum
de temporalibus pro ingluuie uentris, pro superbia,

protem

Pro temporali gloria, pro ludis &c. expensis & dilapidatis nemo murmurat. Hi zelum prætexunt nulla discretione uel cordis synceritate fultum. De his etenim externis, seruator eandem, quam de decimatione tulit, sententiam feret dicendo. Hæc oportuit facere (uidelicet ea quæ sunt cultus interni) & illa non obmittere, quibus cultus rite, deuote, honorifice administratur externus. Math. 23.

ERROR SECVNDVS

A decisione generalis Concilij in Laterano celebrati, quæ habetur de sum. tri. & fi. ca. c. firmiter credimus, aberrant, qui asserunt post consecrationem remanere substantiam panis & uini. Sic etenim sonat præfati concilij Decretum, in. ¶. una uero. Vna uero est fidelium uniuersalis ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur, in qua idem ipse sacerdos & sacrificium Iesus Christus, cuius corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis & uini ueraciter continētur transsubstantiatis pane in corpus & uino in sanguinē, potestate diuina. Hæc ibi. Fuerunt equidem tres circa hoc opiniones. Prima, q̄ cōsecratione facta substantia panis annihilatur. Secunda, q̄ substantia panis transit in substantiam corporis Christi, & substantia uini in substantiam sanguinis, & hæc transitio dicitur transsubstanciatio. Sicq; conueniunt hæ duæ opiniones in hoc, q̄ sentiunt substantiam panis non manere simul cum corpore Christi, sed remanere ibi accidentia (utpote Concilij Lateranensis Decretum. Prima opinio. Secunda

pote quantitatem panis, albedinem, saporem & c. Sic de uino, sine omni subiecto cui inhæreāt, ita quod nulla sit ibi alia substantia, præter substantiā corporis Christi & sanguinis ex primaria consecrationis intentione.

Tertia Tertia, quod facta consecratione remanent substantiæ panis & uini simul cum corpore Christi. Et sic simul sunt duo corpora. Exemplū datur de ferro ignito, ubi ignis substantia simul est cum substantia ferri. Verum, exemplum hoc non bene quadrat proposito, quod enim ignis est in ferro, hoc est propter ferri porositatem. Cum naturaliter non sit poßibile duo corpora quanta quantitate molis (quorum quodlibet naturaliter locū extēsioni quantitatis proporcionatum occupat) simul esse in eodem loco physice loquendo. Præterea ex illa coexistentia ignis cum ferro, non dicitur, hoc ferrum est ignis, sed ignitum. Hic uero dicitur, hoc est corpus meum. Consonant omnes opiniones tres in sacramenti ueritate. Siquidem omnes affirmant, facta consecratione, esse ibi uerum Christi corpus & uerum sanguinem Sicq; in fundamento fidei circa ueritatem sacramenti concordant, in modo ibidem existendi discrepantes. Habet autem quæuis harum sua probamina & munitiones quibus innititur, quæ prætereo, ad sententiarios super Magistrum in quarto circa distinctio. x. & . xi. remittens. Ex his tribus opinionibus Concilium declarauit & diffiniuit secundam tanquam ueram & catholicā esse à fidelibus cunctis tenendam & profitendam, cu-

ius deter

MENTI HVIVS CONSECRATIONE
ius determinationi deferendum censeo.

ERROR TERTIVS

Errant circa huius sacramenti ueritatem, mirabilium operum (quæ circa hoc fiunt) potentiam negantes, pro eo quòd lumini innitũtur naturali & propriæ indagini, sicut olim fuerunt philosophi, & modo omnes pagani & infideles. Nam etsi nonnulli philosophorum cognouerunt primum ens & caussam primã infinitæ esse uirtutis & essentiæ, negauerunt tamen operationis extrinsecæ libertatem, quia dixerũt caussam primã necessario coagere caussis secundis, nihilq; sine caussis secundis in inferioribus posse producere. Ex quo principio falso, falsæ sequuntur conclusiones. Impoßibile esse, decernendo, quòd corpus quantum (cuiusmodi est corpus Christi) sit alicubi modo nõ quantitatiuo in respectu ad locuũ. Quòd tale corpus à nullo oculo sit uisibile. Quòd simul sit in pluribus locis sibi adæquatis. Quòd accidentia subsistant sine subiecto. Quæ omnia & similia in lumine naturali cognosci non possunt. Vnde dicitur in Prosa. Quod non capis, quod non uides animosa firmat fides, præter rerum ordinem. Solo etenim fidei lumine conspiciuntur supernaturalia hæc opera, omnem creatam potenciam transcendentia, ut merito Paulus fidem diffiniendo, dixerit ipsam esse argumentum non apparentium.

Philosophi cognouere primam caussam.

Prosa de corpore Christi.

Hebræ. 11.

QVARTVS ERROR

Errant

Errant circa hoc sacramentum, qui Christum ibi=dem esse imaginantur sub specie pueri, aut sub ea (quã in cœna habuit) conditione, cum corpus tunc habue=rit paßibile. Est autem in sacramento cum omni clari=tate & gloria, quam in cœlo habet. Nulla equidem est in corpore Christi mutatio naturalis, sed sola noui loci acquisitio, q̃ uidelicet de non præsente fit præsens sa=cramentaliter. Est quidem secundum deitatem Chri=stus omni loco præsentissimus, quo ad diuinam poten=tiam omnia operando, & in esse conseruando, sapien tiam omnia gubernando, & essentiam omnia implen do, cum sit infinita. Sed non secundum suam humanita tem & corpulentam substantiam. Nec tamen, quando (facta consecratione) fit præsens in altari, cœlum dese

Act. 3. rit, ut beatus Petrus testatur. Quem (scilicet Iesum Christum) oportet quidem cœlum suscipere usq; in tẽ pora restitutionis omnium quæ locutus est deus per os sanctorum suorum Prophetarum. Idem credendum est quando deuotis suis apparet amicis, ut de Paulo

act. 9. et. 22 habetur in Actis apostolicis, in quibus apparitionibus cœlum non deserit, cum simul & semel esse poßit in pluribus locis.

ASSERTIO SECVNDA DE sacramenti institutione.

Christus institutor hu=ius sacramẽti est.

Huius sanctißimi sacramẽti institutor Christus est uerus deus & uerus homo, qui secundum diuinitatem non modo potuit, sed & uoluit hoc nobis gratissimum conferre

conferre munus, et quia uoluit, fecit. Oia etenim quæcunq; uoluit fecit. Nec à priori, alia caussa uel ratio est quærēda, nam ipsa est omnium primordialis & originalis caussa. Instituit autem illud realiter, tanq̃ uerum & principale noui Testamenti sacramentum. Psal.113.

ERROR QVINTVS

Errant igitur circa hoc, qui asserunt Christū dicendo · hoc est corpus meum. hic est sanguis meus · figuraliter esse locutum, sicut cum alibi dicit. Ego sum uitis uera. Ego sum uia. Ego sum ostium. Nam circumstantiæ facti & sermonū Christi non patiuntur uerba prædicta esse parabolica. Aiunt enim Euāgelistæ. Accepit panē in manibus, & gratias agens cum benedixit, fregit, & dedit eis, dicens. Accipite & mādúcate, hoc est corpus meum. Similiter & de calice. Et sequitur. Et biberūt ex eo omnes. Quibus omnibus bene libratis, claret uerba Christi esse ad literam, & non parabolice intelligenda. Secus in alijs passibus allegatis. Nam cū diceret Ego sum uitis uera· subiecit· et uos palmites· quo datur intelligi, q̃ non de ueris naturalibus palmitibus est locutus, per cōsequēs nec de naturali uite, sed parabolica. Idem claret de ostio & uia, ac similibus. Ioan.15. Ioan.14. Ioan.10. Marci.14. Nota

ASSERTIO TERTIA DE CAVSsa institutionis inductiua.

Quintuplex assignari potest motiuum in Christo ad hoc instituendum sacramentum. Primū ex parte sui fuit maxima & immensa charitas, quam erga nos ha= Primū motiuū est maxima charitas.

Ioan.3. buit, secundum quòd dicit. Sic deus dilexit mundum ut
1.Ioan.4. filium suum unigenitum daret. Et beatus Ioannes. In
hoc apparuit charitas dei in nobis, quoniam filium suum unigenitū misit deus in mundū, ut uiuamus per eū.
Voluit enim deus hominem ad se trahere, nō aliqua alia uiolentia, alijs uinculis, q̃ charitatis, sicut dicit per
Osee.11. Prophetam. In funiculis Adam traham eos, in uinculis charitatis. Naturaliter etenim homo ad amorem eius allicitur, qui eum amat, & ei signa & beneficia charitatis exhibet. Vnde funiculi amoris funiculi Adā nuncupātur.

Funiculi Adam.

1.Ioan.4. Vnde Ioannes in epistola. Nos diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. Non potuit autem deus ampliori modo suam immensam erga nos ostēdere charitatem, q̃ omnibus modis seipsum nobis donando. Quem hæc signa ad amorem dei non prouocant, lapideum & īnsensibile habet cor.

Secundū, figurarū impletio.

Secundū ex parte scripturæ ueteris instrumenti est figurarum impletio. Voluit equidē deus ea quæ in nouo facturus erat testamento, signis & figuris in ueteri præludere, & ueteres ad futurorum spem excitare.

Tres principales huius sacramēti figuræ.

Sunt autem in ueteri testamento tres principales huius sacramenti figuræ. Quarum prima oblationem respicit. Secunda commestionem. Tertia fructus multiplices.

Prima

Gene.14. Prima est oblatio Melchisedech, de qua in Genesi sic legitur, cum reuerteretur Abraham de cæde quatuor regum. At uero Melchisedech rex Salem proferens panem & uinum. Erat enim sacerdos dei al

tißimi

tissimi, benedixit ei & ait. Benedictus Abram deo ex celso, qui creauit cœlum & terram. Hic Melchisedech figura fuit Christi, ut propheta testatur dicens. Tu es sacerdos in æternum secundū ordinem Melchisedech. Et beatus Paulus ad Hebræ. Si ergo sacerdotiū Melchisedech figura fuit sacerdotij Christi, consequens est, q; & oblatio eius, figura fuit oblationis Christi, uerum de hoc infra. Secunda est esus agni pascalis, de quo in Exodo, figura existens agni mitissimi. Tertia manna, de qua sapiens dicit, q; in se habuit omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem. Aducbuntur & aliæ figuræ, quas prætereo. Psal. 109. Hebræ. 7. Secunda Exodi. 12. Sapien. 16.

Tertium. Est sui noui testamenti confirmatio, hoc etenim saluator de sanguine ait. Hic est sanguis meus, qui est noui testamenti: alludens ei quod dixit Moses (sumens sanguinem uictimarum pacificarum & spargens in populum) Hic est sanguis fœderis quod pepigit dominus uobiscum. Tertiū motiuū no. tes. cōfirmatio Matth. 26. Exodi. 24.

Quartū. Mystica unitatis ecclesiasticæ repræsentatio. Assimilat equidē apostolus ecclesiam, quæ est corpus Christi mysticum, corpori naturali, quod membra multa habet, cū sit unū, ita & Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, et omnes in uno spiritu potati sumus. Quod per huius sacramenti materialia scilicet panem & uinum figuratur. Ex multis enim granis unus panis conficitur, & ex multis racemis uinum confluit. Quartum mystica repræsentatio. 1. Corin. 12

Quintũ æternæ cœnæ figuratio.

Quintum, est æternæ cœnæ et nouissimæ figuratio. Sicut enim ea, quæ in lege ueteri sunt gesta, figuræ fuerunt eorũ, quæ geruntur in noua, Sic ea quæ in tempore gratiæ aguntur, figurãt ea quæ expectantur in æterna gloria. Nam sicut uidemus nunc per speculũ in enigmate, tunc autem facie ad faciem, quo ad uim cognitiuam. Sic quo ad affectiuam fruimur Christo in hoc sacramento sub specie nobis connaturali, tunc autẽ sine omni uelamine. Habemus nihilominus in sanctissimo hoc sacramento eundem cibum, quo reficiuntur beati in patria, de quo saluator ait. Ego disponã uobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnũ, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Est itaq; cibus hic sacramentalis solummodo filiorum, nequaq̃ mittẽdus reprobis canibus.

Lucæ. 22.

Est cibus filiorum.

ASSERTIO QVARTA *de caussa finali.*

Caussa finalis huius sacramenti.

Lucæ. 22.

1. Corin. 11

Nota bene.

Ioan. 6.

Caussa finalis institutionis huius sacramẽti est iugis memoria Christi, ut ipse testatur dicens. Hoc facite in meam cõmemorationem. Et beatus Paulus eandem refert sententiam, adijciens. Quotiescunq; enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortẽ domini annunctiabitis donec ueniat. Alia caussa non exprimitur in sacra scriptura. Ea etenim, quæ in Ioanne de pane cœlesti, et carne ac sanguine dicuntur intelligũtur de mãducatione spirituali, quæ est per fidem. Vnde ibidem præmittit. Amen amen dico uobis, qui credit in me habet uitam æternã. Ego sum panis uitæ. Et in fine

substituit

ſubſtituit hæc uerba. Spiritus eſt qui uiuificat, caro nõ prodeſt quicquã. Verba quæ ego locutus ſum, ſpiritus & uita ſunt. Non ait, de carne mea naturali, & ſanguine ſunt. Colligitur etiã ex hoc, q ibidẽ dicit. Niſi mãducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitam in uobis, qui manducat meã carnem, & bibit meum ſanguinem, habet uitam æternam. Et infra. Qui mãducat meam carnẽ, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Si enim de manducatione ſacramẽtali loqueretur ad literam, nullus poſſet, ſine huius ſacramẽti ſumptione corporali, ſaluari, cum ſine adiectione cõditionis cuiuſlibet dicat Niſi manducaueritis carnẽ &c. non habebitis uitam in uobis. Econtra omnis ſumens ſacramentũ, haberet uitã, & maneret in deo. Cum abſolute dicat. Qui mãducat, habet uitam æternam, & in me manet, & ego in eo. Ex quibus ſequeretur, q nullus actualiter in peccato mortali ſcienter exiſtẽs, poſſet ſumere ſacramentum, eſſet quoq; obligatio ſub pœna mortis æternæ ad cõmunicandum ſub utraq; ſpecie. cum dicat. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitam in uobis. Filius autẽ mortis eſt qui non habet uitam in ſe.

Cæterũ cum ſaluator abſolute dicat. In mei memoriam facite ſine quapiam ſpecificatione actus alicuius particularis, utpote, in memoriã meæ incarnationis, Euangelizationis, miraculorum quæ operatus ſum,

 paſsionis

paßionis, mortis &c. Referenda est hæc memoria ad ipsam personam filij dei, in utraq; natura (diuina scilicet & humana) consistentem, ad maximam quoq; suã erga nos charitatem, ad omnia nihilominus, quæ in nostra gessit natura & pertulit ab exordio usq; in finem Signanter autem ad illum excessum, quem completurus erat in Hierusalẽ, de quo cum ipso loquebãtur Mo-
Lucæ.9. ses & Helias uisi in maiestate. Hic est excessus suæ immensæ charitatis & acerbißimæ paßionis & mortis.
1.Corin.11 Vnde Paulus. Quotiescunq; enim manducabitis panẽ hunc, & calicem bibetis, mortem domini anunctiabitis donec ueniat. In paßione equidem & cruce, summi
Hebræ.5. sacerdotis consumauit officium. seipsum offerens, &
Esaiæ.53. pro peccatoribus exorans. Oblatus quoq; ibidem deo patri est, propheta teste. Vnde oblatio hæc, circa illius sacramenti usum singulariter est recolenda & repræsentanda, de qua infra uberius dicetur.

ASSERTIO QVINTA DE materia huius sacramenti.

De huius sacramenti materia.

Huius sacramenti materia est panis frumenticius & uinum uitis. Caussa principalis huius, est uoluntas benedicta instituentis Christi, cuius nõ est prior ratio quærenda. Nihilominus cum omnia in sapiẽtia fecerit nonnullæ ad hoc assignari possunt congruentiæ.

Signatio

Harum prima est Signatio. Cum enim sacramentum hoc signum sit unitatis ecclesiasticæ, quæ est omnium membrorum in corpore Christi mystico compaginatio

natio. Congruum fuit in ea tradi materia, quæ ex multis integratur partibus, cuiusmodi est panis & uinum ut & supra est declaratum.

Secũda. Nutritio, quia enim seipsum nobis in cibũ dare decreuit, sub eis rebus dedit, quæ in nostra nutritione sunt potißima, teste propheta. Vinum lætificat cor hominis. Et panis cor hominis confirmat. Nutritio Psal. 103.

Tertia. Perfecta unio uel unitio. Cibus siquidem et potus in alitum conuertuntur, & unũ cum ipso fiunt, Sic Christus cum suis mẽbris, quæ sibi incorporat, unũ fit, prout ipse à patre suo cœlesti impetrauit post cœnam ipsum rogans, dum ait. Pater, uolo ut hij unũ sint nobiscum, sicut nos unum sumus. In hoc autem differentia est, quòd cibus naturalis in alitum conuertitur, hic econtra, cibus ipsum alitum uel cibatum in se conuertit. Quod de mãducatione spirituali (quæ semper cum sacramentali concurrere debet ad hoc ut sit fructuosa) dominus ostendit cum ait. Qui manducat me uiuet propter me, & qui manducat carnem meã & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo. Vnitio Ioan. 17. Ioan. 6.

Quarta. aßimilatio, per uerba Christi in Euãgelio expressa. Assimilat equidẽ se grano frumenti in terrã decidenti, & multũ fructum afferẽti, per mortẽ equidem suam, qua in terram sepulchri decidit, deuenit ad resurrectionem, germinationem, maturationem, messem, et fructum attulit uberrimũ. Assimilat quoq; se uiti ueræ, dum ait. Ego sum uitis uera. Ex quibus Assimilatio Ioan. 16.

duobus, huius sacramenti materialia comportantur.

De huius sacramenti forma.

ASSERTIO SEXTA DE FORMA huius sacramenti.

In sacramento hoc, forma ipsum consecrandi, sunt uerba Christi. Accipite & comedite, hoc est corpus meũ. Et bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus, noui testamẽti, qui pro multis effundetur, in remissionem peccatorũ. Lucas addit ad corpus meũ· quod pro uobis tradetur· subiungens. Hoc facite in meã cõmemorationem. Non discrepant à præmissis in sententia uerba cõsecrationis, in canone missæ posita. Nonnulla tamen inseruntur uerba & clausulæ, de quibus nullam Euangelistæ faciunt mentionem, utpote, eleuatis oculis in cœlum ad te deũ, patrem suum omnipotentem. Et in consecratione sanguinis, ad uerbum· noui· additur· & æterni· testamenti, adiuncta clausula· mysteriũ fidei· Interponitur deniq; utriq; formæ· enim·

Matth. 26.

Marci. 14.

Lucæ. 22.

Horũ ratio assignatur in. c. cum Marthe de cele. mis. de eleuatione oculorum. Cum saluator in Lazari suscitatione oculos sursum leuauerit (Ioanne teste) ad patrẽ pro reuocatione animæ Lazari ad corpus exanime, probabilius uidetur, q̃ tunc oculos leuauerit ad patrẽ in cœlum, cum panem & uinũ in corpus & sanguinẽ proprium commutauit. De adiectione· & æterni· hæc signatur ratio. Nam uetus testamentum, quod hircorum & uitulorum fuit sanguine dedicatũ, temporalia promittebat. Nouum aũt quod est Christi sanguine consecratum

Ioan. 11.

Et æterni ratio.

consecratum promittit æterna. Et ideo testamentum illud fuit uetus & transitorium, hoc aũt nouũ & æternum. Velut utamur alia ratione. Vnde nouũ, id est, ultimũ esse describitur, inde æternum, id est perpetuum comprobatur. Sic ergo intelligi debet quod in ipso canone reperitur. Hic est enim sanguis meus noui et æterni testamẽti, id est, nouæ & æternæ promißionis scilicet cõfirmator, sicut dominus repmittit: Qui mãducat (inquiens) carnem meam, & bibit sanguinẽ meum, habet uitam æternam. Quòd autẽ additur: mysteriũ fidei: hoc ideo dicitur, quoniam aliud ibi creditur, q̃ cernatur, et aliud cernitur q̃ credatur. Cernitur species panis & uini, & creditur ueritas carnis et sanguinis Christi, ac uirtus charitatis et unitatis. Hæc ibi. Cæterũ dictio: enim: interponitur ad faciendã cõnexionẽ ad uerba præcedẽtia, ne illa quatuor uerba absolute proferãtur sine uerbis antecedentibus. Hæc de forma consecrandi. Porro forma fructuose sumẽdi est fides. Declaratio utriusq; dicti, ex natura formæ accipitur, forma etenim dat esse rei. Verba autẽ Christi, quo ad formam consecrationis, dant & constituunt esse sacramenti. Vnde apostolus de ecclesia loquẽs ait. Christus dilexit ecclesiam & seipsum tradidit pro ea ut illam sanctificaret, mundans eã lauacro aquæ, in uerbo uitæ. In sacramentis etenim, uerbum, respectu materialis elementi, est principale et formale. Nam accedit uerbum ad elementũ, & fit sacramentum, & hoc,

Alia huius ratio.

Mysterium fidei.

Enim ratio

Quid sit forma.

Ephe. 5.

Verbũ est formale sacramentũ in sc.

quo ad sacramētum in se. Verum quo ad hominem sacramentum fit per fidem. Nam sacramentum baptismi uel Eucharistiæ non est sacramentum pagano, uel Iudæo, quia sibi non est signum ob fidei defectum. Igitur ad hoc quòd sit homini sacramentum, requiritur fides in ipso homine, qua credat illud à Christo sibi in salutem institutum, tanquàm signum efficax alicuius effectus spiritualis, sibi salutaris. Verbum itaq; accedens ad materiale aliquod signum, à Deo ad hoc ordinatum, ab homine creditum, facit sibi & fit certum diuinæ propiciationis & gratuiti influxus signum.

ASSERTIO SEPTIMA DE HORVM pronominum hoc & hic demonstratione.

Hoc & hic

Circa demonstrationem utriusq; pronominis, hoc & hic, in forma cōsecrationis corporis & sanguinis. hoc est corpus meum · & hic est calix sanguinis mei quid in actu prolationis demonstrent. An uidelicet substantias panis & uini. an earum accidentia. an indiuiduum entis. an corpus Christi. & pro quo tempore uel instanti significant. an pro tempore in quo proferuntur. an pro ultimo instanti prolationis totius orationis, logici longos contexunt disceptationum conflictus, subtiles quidem sed steriles.

Steriles logicorum cō flictus.

Cæterum, Theologus omnibus his postergatis, tribus innititur assertionibus. Harum prima est. Verba Christi quæ in cœna nouissima super panem & uinū protulit. Accipite & manducate, hoc est corpus meū

Prima assertio theologica.

Et bibite

Et bibite ex hoc omnes, hic est &c. nobis sunt uerba consecrationis, siue ipse uerbis his consecrauerit, siue sola benedictione.

Secunda. Hæc uerba, à quouis rite consecrante, sunt sine truncatione proferenda. Hæc sequitur ex prima. Secunda

Tertia. His uerbis rite prolatis ab eo qui consecrare potest, cum debita intentione, super materiam idoneam, uere est ibi corpus Christi & sanguis. Sicque apud fidelem quemq; simpliciter fidei innitentem, est de sacramenti ueritate certitudo, absq; supernaturalis diuinæ operationis indagatione, & logicæ subtilitatis de uirtute uerborum, circa expreßionem conquisitione. Tertia

ASSERTIO OCTAVA QVID IN
hoc sacramento nobis Christus dedit.

Christus se ipsum hoc in sacramẽto donauit.

In hoc altißimo & sanctißimo sacramento dedit Christus nobis optimum quod habuit. Vt enim nobis suam exuberantißimam erga nos ostenderet charitatem, seipsum nobis dedit totum & totaliter, nihil sibi reseruans. Ex ui quidem consecrationis & institutionis dedit nobis corpus suum uerum, de uirgine sumptum, in edulium. & sanguinem in poculum. Porro cum corpus ab instanti conceptionis suæ nunquàm fuerit sine anima (excepto mortis suæ triduo) Nec anima unquàm à diuinitate diuorciata. ex consequenti per concomitantiam, dedit animam suam & diuinitatem, ac per hoc se totũ secundũ utranq;

Ex ui consecrationis.

naturam, & totaliter secũdum omnia ea, quæ utrãq; cõcomitantur uel consequũtur naturam, ut uel sic ingẽ tißimam suam charitatem homo perpendere possit. Ex quibus non immerito generari in nobis debet uehe mens stupor de tam immensa dei dignatione, si saltem hæc uera esse credimus, secundum q̃ deus uult nos cre dere hæc esse uerissima. Ingens quoq; gaudium, per fi dem cognoscentes nos tantum amari & appreciari ab infinito deo. Consequenter quoq; plena ad ipsum spes & fiducia obtinendi ab eo quæcunq; exoptamus bona Quid enim nobis negabit, qui seipsum nobis totũ & totaliter dedit? ut dicit Apostolus. Inde in nobis & ex nobis erumpit feruens amoris fluuius ad redamandũ eum, qui tanti nos æstimauit, ac demum conatus pro uiribus recompensandi sibi hunc tam immensum amo rem. Quæ recompensatio stabit non modo in affectu interiori, ipsum toto redamando affectu, sed & san- ctißimum eius beneplacitum omnibus uiribus adim- plendo. Sic etenim & nos pro modulo nostro nosipsos totos illi damus, nihil nobisipsis reseruãtes. Quod tũc fit, quando perfecte & mũdo & nobisipsis morimur & soli deo uiuimus. Hoc equidem modo ipse in nobis regnare in pace poterit, & nos poßidere, quod in ora tione petimus dominica dicentes. Adueniat regnum tu um, fiat uoluntas tua, sicut in cœlo & in terra.

Roma. 8.

Quid sit se totũ & totaliter Chri sto dare.

ASSERTIO NONA DE SA cramenti huius duratione.

Sanctißimi

Sanctißimi huius sacramenti duratio in generali ad finem usq; mundi huius protendetur. Quamdiu etenim militans durabit ecclesia, continuabitur & sacramentum hoc, ut & de illo essendi modo Christi nobiscum uerificetur, illud seruatoris nostri. Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad cõsummationem seculi. Duratio huius sacramẽti uniuersalis. Matth. ulti.

Cæterum duratio particularis, sub speciebus determinatis tantum protẽditur, quãdiu eadem species sub modo cibi & potus in sua propria durant natura. Particularis quinq; persuadetur rationibus.

Ad hoc est probatio prima. Nam deus dedit nobis sacramẽtum hoc ad usum. Ergo quamdiu egemus eius usu ad intentum fructum percipiendum, tamdiu sub his speciebus manet. Secunda. Deus dicendo hoc est corpus meum. nullam de duratione uel temporis limitatione fecit mentionem. Ergo nec nos propria debemus temeritate limitare. prima probatio. Secunda

Tertia. Beneficia principis sunt largissime interpretanda. Hoc autem est munificentissimum summi principis beneficium, ergo secundum suæ pietatis immensitatem latißime est interpretandum, uidelicet q semper uelit nobiscum esse sub illis speciebus, quoad in sua perseuerant naturali conditione. Tertia

Quarta. Deus dedit illud in signum & memoriale suæ maximæ erga nos charitatis. Igitur signũ huius & memoriale semper nobiscum debemus reseruare. Quarta

Quinta. Sine pœnitentia sunt dona Dei, ait apo- Quinta

stolus

Roma.11. stolus inter quæ hoc est præcipuum. Ergo quod semel dedit in consecratione panis & uini, in esse continuat modo dicto.

ERROR SEXTVS

Errant igitur qui asserunt corpus Christi & sanguinem sub speciebus panis & uini esse tantummodo quando actu sumitur, non autem ante. Forte argumentationes sumentes ex dicto saluatoris: accipite & manducate, hoc est corpus meum. Et similiter de sanguine
Luce.22.
Ex quibus tamen uerbis non aliud habetur, nisi quòd sacramentum hoc ad sumptionem & usum est ordinatum, non autem quòd immediate sumi debet facta, cõsecratione, & quòd alioqui ibi Christus non maneat sub hoc essendi modo, nisi continuo sumatur.

ERROR SEPTIMVS

Errant præterea asserentes corpus Christi non esse reseruandum in pixide, uel altari, nec causa deuotionis fidelibus ostendendum, sicuti fit in solenni processione, quæ in festo corporis Christi pene ubiq; celebratur deuote. Motiuum illorum est, quia nec necessarium est, nec fructum affert. & quia plures homines sunt, qui Deum non uera fide colunt, à quibus irreuerentia exhibetur sacramento.

Corpus Christi est reseruandũ & populo

Ad quod dicendum. Quod Christiana deuotio hãc adducit necessitatem.

Primo, quia nutrit fidem. Est equidem sacramentum hoc, magnũ fidei obiectum. Recognoscitur etenim à

num à quouis fideli Christus in eo præsens personaliter. Ex quo occasionem sumit cogitādi. Quare ibi est? scilicet propter nos ex maxima charitate. Quid nobis innuit? scilicet suæ paßionis memoriam, diuinæ suæ propiciationis exuberantiam, ad nostram purgationē illuminationem & perfectionem, & diuinæ suæ familiaritatis ad nos exhibitionē. Neq; enim est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut deus noster adest nobis. — ostendendum prima ratio. — Deut. 4.

Secūdo, roborat spem. Cum enim ex immensa dignatione nobiscum esse uelit in uia, non modo per gratiam, sed & personaliter, non possumus ambigere, quin nobiscum uelit esse in æternitate, nosq; sibi indissolubiliter copulare. — Secunda

Tertio inflammat ad charitatem. Quis enim fidelium tantum amatorem non redamabit, qui nullius egens, ex sola purißima charitate indissolubili contubernio nobis fœderatur. — Tertia

Quarto inducit ad reuerentiam & uerum latriæ cultū exercendum. Et si cultus hic, ubiq; sibi impendi possit & debeat, iuxta dictum saluatoris. Venit hora quando nec hic nec Hierosolymis adorabitis patrem, scilicet in illis locis tantum, cognita tamen, per fidem diuinæ maiestatis, præsentia in carne humana sub modo essendi mirabili, quis fidelium non excitabitur ad latriæ cultum plena deuotione sibi impendendum. — Quarta — Ioannis. 4.

Quinto

Quinta

Quinto, reseruatur ad communionem, ut pro omni hora habeatur ad sumendum, saltem pro infirmis & morituris, ut hunc in morte suscipiant comitem & ductorem, cum quo perpetuo in patria regnabunt. Neq; enim omni tempore, omni loco conuenit de nouo hoc conficere sacramētum, pro ampliori illius reuerētia. Motiuum igitur, errorem præfatum asserentium, nullum est. Constat enim ex prædictis, tum fructuosam, tum necessariam esse huius sanctißimi sacramenti reseruationem. Nam quamuis plæriq; sint indeuoti & irreuerentes, propter hos tamen, fideles & deuoti sua non sunt deuotione & fructu fraudandi.

Reseruatio eucharistiæ sacramenti in pixide, fructuosa est.

ASSERTIO DECIMA DE SAcramenti huius reuerentia.

Dominu nostro Iesu Christo, in sacramento hoc, duplex debetur reuerentia. Vna interior, alia exterior, & utraq; summa. Etenim deus & homo est. Hæc à Theologis nuncupatur latria, quæ est reuerentia soli Deo uiuo & uero debita, in cuius tamen exhibitione, non diuortiatur humanitas sibi coniuncta in concreto, ob personæ unitatem. Vocatur autem cultus iste Latriæ usitato uocabulo, adoratio, prout a cultu creaturæ discriminatur, quo intellectu in præsentiarum, hac utemur uocula.

Duplex reuerentia debetur sacramento.

Latria quid sit.

Itaq; adoratio est opus fidei, et eiusdē ꝑtestatio. Porro fides distinguitur in fidē ueram & fictam, adstipulāte Paulo. Finis præcepti est charitas de corde puro, conscientia

Adoratio quid sit.

1. Timo. 1.

conſcientia bona, & fide non ficta. Hæc eſt fides uera. Cæterum fides uera dicitur, quæ circa ſuum propriũ obiectum (quod eſt ueritas æterna & incommutabilis, in uoluminibus diuinis nobis diuinitus reuelata) nullum continet uel implicat errorem. Ficta uero, quæ aut errore in ſcriptura diuina conſpergitur, ut in hæreticis. Aut ſimulatur ut facilius decipiat, ſicut torquatus fecit erga ſanctum Tiburtium. Primã autem habere poſſunt Chriſtiani, nullo errore in catholica ueritate infecti, quantumlibet in mortali conſiſtentes peccato.

Fides uera quid ſit.

Fides ficta.

Præterea Sanctus Iacobus ſecundã fidei innuit diſcriminationem, in fidem uiuam et mortuam, dum ait, Fides ſine operibus mortua eſt, utpote, cũ ſpem et charitatem nõ habet comites, à qbus diuorciari poteſt, ut in aliis ſcriptis habunde eſt probatũ. Nam & corpus mortuum, uere corpus eſt, in genere ſuo. Poterit ergo quis habere fidem ueram, quo ad omnia credenda nobis in apicibus diuinis reuelata (quia opus intelligentiæ eſt) deſperãs de ſua ſaluatione. Aut in peccato mortali ſcienter perdurans. Hæc quia uiua non eſt, nõ operatur bonum, nec eſt deo grata,

Iaco. 2.

Fides uiua & mortua

I.

Dicendum igitur primo, Quòd adoratio ex fide ficta progrediens, pro dei deriſione computatur. Cum enim erret in fide (qua ad deum acceditur.) Aut fidẽ ſimulet, quam non habet. Conſequens eſt, quòd deo reuerentiam debitam impendere non poßit.

doctrina adoratio ex fide ficta

Hebre. 11.

II

Secundo, Adoratio ex fide uera, mortua tamen. Ex doctrina a-

c hibet

Secnuda doctrina adoratio ex fide uera. bibet quidem deo reuerentiam, sed diminutam, unde nec gratam, recognoscit equidem (hoc modo adorans) deum, suum creatorem & redemptorem secundũ uim intellectiuam tantũ. Non autem secundum appetitiuã, quia in affectu & amore nõ appreciatur ipsum ut summum bonum, cũ creatum quippiam in amore sibi præ=
3.Reg.18 ferat, propter quod mortalis criminis, reus est, sicq; claudicat in duas partes.

Tertia fit ex fide uiua. Tertio, Adoratio ex fide uera & uiua (scilicet ui=uente et operante per charitatẽ) interior in corde, uerum deo & gratum exhibet cultum, quia geritur in spi
Iohan. 4. ritu & ueritate. Et implet diuinum mandatum, non ha
Exod. 20. bebis deos alienos, Quod quàmuis negatiuum sit, impli
Matth. 4. cat tamen affirmatiuum, ut interpretatur saluator, do
Deut. 9. & 10. minum deum tuum adorabis, & illi soli seruies.

Quarta doctrina. Quarto. Adoratio exterior ad hoc quòd grata deo sit & placita, manare & erumpere debet ab interiori, uera & uiua fide deo exhibita. Sicut & omnis cultus dei externus, pro sua gratificatione uerum internum dei cultũ exigit & præsupponit, dicente prophe
Psal.15. ta, dixi domino deus meus es tu, quoniam bonorũ meo=
Prouer. 23. rũ non eges, & Salomon, Præbe cor tuum mihi fili mi,
Gene. 4. & in Genesi, dicitur respexit deus ad Abel & ad munera eius.

Quinta Quinto, in nouo testamento penè omnis adoratio exterior, ad creaturas est deriuata, ut nullum signum sit extrinsecum cultus diuini quod soli deo sit reseruatum,

tum, excepta sacrificatione & thuris oblatione. Nam Sacrificatio & genuflexiones & prostrationes, & quæuis aliæ cor poralesreuerẽtiæ, cõmunes factæ sunt deo et creaturæ soli

Sacrificatio et thuris oblatio soli deo cõpetit

Sexto, Etsi Christus non instituit sacramentũ prin= cipaliter, ut ibi adoretur, quia tamen uere ibi est deus & homo, est à fideli quouis in sacramento altaris de= uote adorandus.

Sexta

Septimo, Adorans Christum in sacramento altaris, interna intellectuali recognitione, & corporali reue= rentiæ exhibitiõe (existens sciẽter in peccato mortali) quàmuis nõ exhibeat obsequium deo gratum, præstat tamen sibi officium debitum, & exercet actum ex ge= nere suo bonum. Vnde Christianus quilibet debet pro modulo suo, Christo in altaris sacramento reuerentiã exhibere sibi præcipuam.

Septima doctrina.

ERROR OCTAVVS.

Errant igitur asserentes Christum in sacramento al taris non esse adorandum, supposita consecratione ri= te facta; sibi etenim ubiuis locorũ summa reuerentia, summus debetur cultus, in hoc præcipue sacramẽto, in quo nobis ex maxima charitate est præsentißimus, unde & nos optimũ q; habemus illi uice reciproca im= pendere debemus, quia nec ipse quippiam sibi reser= uauit quod non largiflua charitate nobis communicauit

ERROR NONVS.

Errant nihilominus, qui asserunt, non posse uera= citer adorare Christum eos, qui non cordiali confi=

dentia & fiducia fidei uere & uiue ipsum creatorem & redemptorem recognoscunt, cuiusmodi sunt in peccato mortali scienter consistentes, pro eo quòd non ipsum syncera affectione & deuotione deum recognoscunt. Verum quidem est, quòd perfecta adoratione eum non reuerentur, quia non toto corde ipsum colunt, & super omnia appreciantur. Quia tamen uera fide ipsum cognoscũt, possunt ex eadem fide ipsum adorare & uenerari.

ERROR DECIMVS.

Fides uera et fides uiua Errant prætereà, qui inter fidem ueram & fidem uiuam non distinguunt. Cum fides, ueritatem ex proprio obiecto, uitã autem ex charitate habeat, quæ aliud à fide donum est, dicente apostolo. 1. Corin. 13. Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc. Quæ tria, etsi in ordine ad salutem & ad uitam æternam, sint inseparabilia. Ex seipsis tamen, nullam habent necessariam condependentiam, sicut et cognitio ueri & boni ab eiusdem amore & appreciatione seiungi potest, Ignorantia & defectus huius distinctionis plurimas falsas adduxit assertiones.

HAEC DE PRIMA SECTIONE.

SECVNDA SECTIO DE SACRIficio in missa seu oblatione.

CIrca hanc sectionem, quia oblatio Christi in missæ celebratione à plerisq; impugnatur nostra tempestate, ex prætensa ad sacram scripturam repugnan-

repugnantia, Pro illius fulcimento, & pessuli huius re pulsa, probanda est primum negatiua (scilicet quòd non sit contra scripturam diuinam.) Secundo affirmatiua (Quòd spiritui & uirtuti scripturæ quadret optime) stabilienda.

ASSERTIO VNDECIMA. DE NOuo Testamento.

Eucharistiæ sacramentũ (prout recipitur pro corpore Christi & sanguine, de quo hic loquimur) non est nouum testamentum ad intellectum eorum qui ex hoc uerbo nituntur probare ipsum non esse sacrificiũ. Probatio huius prima est, quia testamentum in se continere debet omnia bona quæ hæredibus legat testator. Bona etenim quæ in testamento nõ comprehenduntur óxui testamenti, sub successione non cadunt. Corpus autem & sanguis Christi sub sacramenti huius symbolis contenta, non continent omnia bona à Christo nobis legata, ut sunt gratia in præsenti, et possessio uitæ æternæ in futuro. Consequitur quòd non sunt Christi testamentum. Prima probatio testamentum

Item in uerbis nostri seruatoris. Nomen testamenti non iungitur corpori, sed solummodo sanguini. Si ergo ex uerbo hoc, sacramentũ illud altaris est testamentum. Sequitur, quòd solus sanguis Christi erit testamentum nouum. Secunda

Item sanguis hyrcorum & uitulorum (qui figura fuit sanguinis Christi) non fuit uetus testamentum, sed Tertia

eius cõfirmationis signum, ergo nec sanguis Christi est testamentum nouum.

Quarta Praeterea quarto. Bona nobis à Christo in nouo suo testamento legata, non sunt sola peccatorum remissio, quin & haereditas aeterna, & uiuentium terra, beatitudoq; perfecta, quae mirum immodum remißionem peccatorum exuperant. Cum deus hanc remißionem largiri posset sine uitae aeternae donatione, licet de facto nõ separet, nihilominus ex promißione minoris efficaci consequentia non infertur maius.

Quinta
Ezech.1. Quinto, Nouum testamentum correspondere ueteri debet, sicuti figuratum figurae prout Ezechiel uidit rotam in medio rotae, in ueteri autem testamento promittebatur terra chanaan cum frugibus & foecunditate sua, ergo nouum testamentũ continet et promittit coelestis patriae beatitudinẽ, de qua, loco hoc in uerbis saluatoris nulla fit mentio.

Sexta Sexto, saluator noster non instituit sanguinem suũ in sacramẽto hoc, in remißionẽ peccatorum sumendũ, sed in coena discipulis praedixit fundendũ in remißionem peccatorũ, quod factum fuit in paßione et cruce, expresse etenim dicit, qui pro uobis & pro multis effundetur in remißionem peccatorum.

Septima Septimo, seruator in uerbis (quibus sacramentũ instituit, uidelicet hoc facite in meam cõmemorationem) nullam de testamento facit mentionem. Nec aliam institutionis huius expreßit caussam, quàm in memoriã, ut quid

ut quid ergo alia fingitur, quam nō habemus à Christo expressam.

CONSECTARIVM PRIMVM.

Infertur ex his, quòd sanguis Christi solūmodo signum est noui testamenti confirmatiuū, sicuti sanguis hyrcorū et uitulorū ueteris, eo intellectu quo urina in physicis iudiciis sana dicitur, quia signum est sanitatis, uel (propiori manu ductione) charta cum sigillo dicitur testamentum, in cuius argumentum à duobus euangelistis uidelicet Matthæo et Marco, testamenti nomen ponitur in obliquo, nam aiūt. Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remißionē peccatorum, ad quem sensum referendus est Lucas & Paulus, qui ponunt testamentum in recto. Nam sententia scripturæ diuinæ, sic intelligere & interpretari cogit, ut est dictum, nec quicquàm à scriptura absoni ex hoc intellectu emergit. *Sāguis christi est solum signum noui testamenti confirmatiuum.* *Matth. 26.* *Marc. 14.* *Luc. 22.* *1. Corin. 11.*

CONSECTARIVM SECVNDVM.

Infertur secundo, quòd omnia quæ prætextu testamenti contra oblationem Christi in missa aduehuntur, nullius sunt roboris aut momenti, utpote Quòd quia sacramentum est testamentum, & testamentum est donum quod testato datur, ideo non potest esse sacrificium quod datur à sacrificante ei cui sacrificatur, Quòd hoc ipso nō est nostrum, nisi inquantum recipimus, unde donare non possumus. Quòd solum prodest recipienti, nec potest alteri uiuo uel defuncto ap- *Prima fallatio* *Secunda* *Tertia*

 plicari

Quarti plicari. Quòd in hoc sacramento non sit curandum quid ibi sit per cōcomitantiam, uidelicet anima Christi sanctißima & diuinitas, sed uerba & opera dei consideranda. Hæc inquàm, & similia super rationem testamenti stabilita, arenosum habent fundamentum. Vnde stabili non fulciuntur ueritate.

ASSERTIO DVODECIMA DE PROmißione quæ dicitur in hoc esse sacramento.

Ex scriptura diuina nō probatur efficaciter, quòd sacramentum illud sit promissorium remißionis peccatorum ex institutione Christi, ipsum suscipienti. Seruator eteni noster instituendo hoc sacramentū nullam aliam institutionis aßignauit rationem, nisi in sui memo-

1. Corin. 11. riam. Sed nec S. Paulus ad Corinth. de ipsius institutione & usu scribens, aliam aßignat. Vnde & subiungens ait. Quotiescunq; enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis donec ueniat. Est ergo ex institutione Christi memoriale præteriti (uidelicet maximæ suæ charitatis, quam in paßione & morte nobis ostendit et exhibuit.) Nō promißio futuri alicuius effectus.

Prima obiectio. Luc. 22. Huic assertioni opponitur. Primo, id quod saluator ad corpus adiecit. Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur. Et ad sanguinem. Qui pro uobis effundetur in remißionem peccatorum. Ergo est promißio de futuro scilicet in remißionem peccatorum

Responsio. Ex textu liquet, quòd saluator dando corpus

corpus & sanguinem discipulis suis in cœna nouißima prænunciauit his uerbis id quod in sua paßione erat futurum, scilicet corporis sui crucifixionem et sanguinis effusionem. In cuius memoriam hoc sacramentum nobis tradidit, unde prænunciationes sunt, non promissiones. Prænunciationes inquàm eorum, quæ in proximo erant consummanda. Ex quibus inferri non potest, quòd sumens sacramentum consequatur peccatorũ remißionem. Neq; enim saluator ait. Qui à uobis sumetur in remißionem peccatorum, sed qui fundetur. Responsio.

Secundo, Eucharistia est sacramentum. Sacramentum autem est signum alicuius effectus spiritualis à deo dandi. Erit ergo signum alicuius effectus spiritualis à deo dandi. Ergo erit signum promissorium. Secunda obiectio.

Responsio, Species panis & uini sunt signum quoddam unum, unitate integritatis & sensibile. Quæ accedentibus uerbis consecrationis, habent pro immediato signato corpus Christi uerum, & uerũ eius sanguinem, quæ præsentialiter his aßistũt signis. Vnde quo ad hoc nil futuri signant. Signant præterea mediate corpus Christi mysticum, quod est ecclesia. Signant nihilominus, respectu sumentis hoc sacramentũ, incorporationem in illud corpus mysticum, ob quod sacramentum ecclesiasticæ unitatis nuncupatur. Igitur ex ratione sacramenti non habetur, q̃ sumenti hoc sacramentum sit signum promissorium remißionis peccatorum. Responsio. Signatũ immediatum specierum est corpus Christi uerũm media tũ est ecclesia.

CONSECTARIVM

Omnia igitur quæ cōtra oblationē Christi in missa, ex ratione promißionis adducuntur, fundamento ca=

Prima fal= rent, uidelicet, Quòd oblatio hominis, et promißio dei

faillatio. circa idem ex diametro pugnāt, ut, quia promißio dei

Secunda hoc sacramentū est, non potest esse oblatio. Quòd in sa cramento hoc, magis sint attendenda uerba promißio

Tertia nis, quàm corpus & sanguis Christi. Quòd attenden= tes magis sacramentum quàm uerba promißionis, per

Quarta dunt fidem, Quòd consideratio per fidem, quare Christus ibi est, obliuisci facit tam adorationis huius sacra= menti, quàm reuerentiæ exhibitionis. Nam secundum illos, sic considerans, solum attendit uerba promißio= nis, & occupatur circa promissa, et habet corpus Christi, & sanguinem solum pro signo promißionis, unde talis non curat an ibi sit anima Christi & diuinitas, nec cogitat de reuerētia ei exhibēda. Hæ (inquā) & similes assertiões, in promißionē huius sacramēti fundatæ, firmo & solido carent fundamento, cum saluator non in promißionis signum, sed in suæ benedictæ paßionis & mortis memoriale instituerit, ut sua, & apostoli Pauli uerba testantur clarißime, unde fides circa hoc sacra= mentum exercenda, mentis aciem figere debet in rem gestam, uidelicet paßionem Christi et mortem, ponderando eius circumstantias quibus masticatis, erigatur in deum spes, inflammetur charitas, dulcescat deuotio, et totus homo in deum liquescat, ad seipsum totum deo rependendum, qui se totum nobis donauit, nihil sibi re,

seruans

seruans, An non grandis pastura fidei, qua docetur ho- mo deum diligere, non quia plurima nobis promisit, sed quia tam bonus, amabilis & suauis est, qui tanti nos aestimauit, tantum nos amauit ut seipsum nobis omnibus modis donaret. Etenim in promißis dei, proprii cõmodi respectus esse potest, quo mens non ad puram et syncerã excitatur promittentis redamationem. Quaerit autem deus & expetit à nobis amorem purißimũ propter seipsum, caeterũ omnia promissa diuina in scripturis sanctis nobis facta donabũtur, de ipsis nõ cogitãtibus, sed ipsum promissorem super omnia amãtibus, Qui enim proprio filio suo nõ pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum, quomodo non omnia nobis cũ ipso donauit? Solent etenim bonorum promißiones sinistrum exacuere oculum, & sic impurum reddere affectum, ad amandum promissorem propter seipsum. Vberrima fidei pastura. Rom. 8.

ASSERTIO TREDECIMA DE *uerbis & factis Christi in coena circa hoc sacramentum.*

Tertio loco ad probandum, quòd sacrificium altaris contra scripturam militet, uerba & facta Christi in coena gesta adducuntur, huius fundamentum tale est. Missa ad hoc ut sit Euangelica, & scripturae quadrans, institutum CHRISTI referre debet, qui quidem in coena ait, exemplum dedi uobis ut quemadmodum Iohan. 13.

Iohan. 13. admodum ego feci uobis ita & uos faciatis. Nihil autē Christus in cœna dixit, aut fecit, quo daretur intelligi sacramentū hoc esse sacrificium, quin in omnibus elucet cōtrarium. De uerbis ab eo expreßis patet. Ait enī discipulis, accipite. Nō ait offerte, comedite & bibite. Quod edimus & bibimus, offerre nō possumus,

De factis quoq;. Nam Christus accepit panem, fregit, et discipulis ad sumendum dedit. Non sacrificauit. non eleuauit, non in templo super altare posuit, nullas missæ ceremonias seruauit.

Dilutio Dicendum primo ad fundamentum, Missa euangelica institutum Christi referre debet. Si refers ad oblationem Christi in se consideratā prout fit in missa, ut sit sensus, quòd missa euangelica debet institutum Christi referre. Hoc est, debet esse à Christo instituta, & nō à puro homine præsumpta. Concedendum est hoc fundamentum, quod & infra de oblatione suo loco probabitur, dum demonstrabitur affirmatiua. Porrò si referas ad modum faciendi & procedendi, & ad cæremonias negatur fundamentum.

Ad probationem Cum probas per uerbum Christi. Exemplum dedi uobis &c. Respondetur

Responsio Quod hoc non refertur ad sacramenti institutionem & usum, ac modum utendi, sed ad pedum lotionem, ut clarus textus testimonio est. Præmittitur enim. Si ergo laui pedes uestros dominus & magister, uos quoq; debetis inuicem alij aliorū lauare pedes. Post quæ uerba subiungit. Exemplū enim dedi uobis, hac equidem

coiunctione

coniunctione (eni) notat uerborũ & sententiæ condepẽdentiã. Ad hoc facit, q̃ imitatio Christi in eis opibus principaliter consistit, quæ perfectionem aliquã conferunt, cuiusmodi est humilitas, mititas, pacientia, charitas. Vnde ait, discite à me quia mitis sum & humilis corde. Omnia ergo super hoc fundamento sic intellecto fundata, ruinosa sunt, ut subiungitur de uerbis & factis Christi.

Imitatio Christi principaliter cõsistit in operibus perfectionem cõferentibus.

Matth. 11.

Ad hoc adducitur multiplex ratio, Prima, Modus utendi aliquo instituto diuino, qui à Christo non est expressæ limitatus, uariabilis est, quia ipsi instituto accidentalis, (Modo institutum in se seruetur) unde Christus modum hunc circa oblationem spiritui sancto reliquit disponendum, qui est ecclesiæ rector & proprius spiritus corporis Christi mystici, quo uegetatur et in omnibus dirigitur, sicuti saluator promisit dicens. Paracletus autem spiritussanctus docebit uos omnia.

Prima ratio

Secunda, Euangelistæ cœnam nouißimam describentes, narrauerunt ea quæ historiam concernunt & rem gestam circa discipulorum cõmunionem. Non cæremonias obseruandas taxantes. Tercia, Christus in cœna præfata, eum modum seruauit, qui pro ea hora sibi erat conueniens, unde communicauit apostolos post alios cibos sumptos, in sero, in numero duodenario, in quo unum habuit traditorem, lotis prius pedibus &c. quæ omnia ad obligatoriam imitationem trahere, absurdum uidetur. Ex quo infertur & claret id,

Iohan. 14.

Secunda ratio.

Tertia ratio

quod

quod supra dictum est; quòd in modo utendi, non præbuit imitationis exemplum.

Quarta ra Quarta, cum sacramentum hoc, memoriale sit suæ paßionis ipsomet teste, non erat ante consumatā paßionem, quo ad omnia clare explicandum, sicut & in aliis locis testantur Euangelistæ discipulos ante paßionem completam, ipsius mysterium non intellexisse.

Quinta Quinta, quia oblatio Christi in missa non modo memoriale est passionis & oblationis eius in cruce, sed & ipsius repræsentatiua, debuit prius offerri realiter in cruce. Et hæc una de principalibus causis est, quare Christus in cœna nullam de oblatione sacramentali sui corporis & sanguinis fecit mentionem, Per quam, & alias iam dictas rationes, exploduntur omnes instantiæ quæ de uerbis & factis Christi in cœna sunt adductæ.

Missa est repræsentatiua passionis Christi.

ASSERTIO DECIMAQVARTA de dictis Apostoli in epistola ad Hebræos.

Doctrina beati Apostoli ad Hebræos de sacerdotio sempiterno Christi, & unico eius sacrificio, signanter in capitulo septimo, nono & decimo non militat contra quotidianā (quæ in missa fit) oblationem, ad cuius elucidationem uerba apostoli sunt explicanda.

Hebræ.7. In capitulo septimo ait. Talis decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes prius

us, pro suis delictis hostias offerre. Deinde pro populi, hoc enim fecit semel se offerendo, semel (inquit) non cap. 9.
quotidie. Et cap. 9. *Non in manufactis sanctis introiuit Iesus exemplaria uerorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc uultui dei pro nobis, neq; ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno, alioqui oportebat eum frequenter pati ab origine mundi. Nunc autem semel in cõsumatione seculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit, & quemadmodũ statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium, sic & Christus semel oblatus est ad multorum* ca. 10.
exhaurienda peccata, & capi. decimo, inquit. Hostias Psal. 39.
& oblationes & holocaustomata, & pro peccato uoluisti, nec placita sunt tibi quæ secundum legem offeruntur, tunc dixi. Ecce uenio ut faciam deus uoluntatem tuam, in qua uoluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Ihesu Christi semel. Et sequitur paucis interiectis, *una enim oblatione consumauit in sempiternum sanctificatos, contestatur autem nos & spiritus sanctus, postquàm enim dixit.* Hoc autem testa- Hiere. 31.
mentum quod testabor ad illos post dies illos dicit dominus, dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas, & peccatorum & iniquitatum eorũ iam nõ recordabor amplius. Vbi autem horum remissio, iam non est oblatio pro peccato, hæc ibi, Ex his contra sacrificiũ altaris infertur. Primo

quòd

Prima ad= uersariorũ illatio. Roma. 6.

quòd Paulus pro codẽ accipit Christi oblationem, mortem, et sanguinis effusionem, ergo ipsum iterato offerre, est ipsum iterato crucifigere & sanguinem eius fundere. Contra illud quod dicit ad Romanos, Christus resurgens nõ moritur, mors illi ultra non dominabitur.

Secunda

Secundo, quod nõ pluries potest offerri. Ex quo expresse dicit in supradictis sententiis, hoc fecit semel se se offerendo, & semel in consummatione seculorum per hostiam suã apparuit, & semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata, & una oblatione consummauit sanctificatos, quid enim clarius dici potest contra oblationis iterationem?

Tertia

Tertio, quòd nemo Christũ offerre potest, nisi ipse seipsum deo patri, quia solus ipse summus sacerdos.

Dilutio.

Ad has falsas doctrinæ Paulinæ interpretationes diluendas, & uerum intellectum enucleandum, considerandum, quòd tripliciter intelligi potest, Christum offerri deo patri (præter id q̃ patri seipsum obtulit.)

Christus potest offerre corporaliter. Esai. 53.

Vno modo realiter et corporaliter, quomodo Christus oblatus est corporaliter in cruce, tempore suæ passionis, iuxta Esaiæ uaticiniũ, oblatus est quia ipse uoluit, ut infra dicetur.

Spiritualiter.

Secundo modo spiritualiter, per meditationem, suam recolendo passionem, & eam in deuota mente patri sistendo, quo modo quilibet fidelis in sua deuotione dominũ Ihesum deo patri debet offerre. Nam quo ad hoc omnes fideles sunt sacerdotes, specialiter autẽ hoc fieri debet in sacramenti huius cõmu=

nione

tione, prout ait apostolus. Quotiescunq; manducabi tis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annunctiabitis donec ueniat. 1. Corin. 11

Tertio modo, ultra iam dictam priuatam singulis membris conuenientem oblationem, offerri debet à tota ecclesia eius sponsa, sicut & factum est in lege naturæ, & Mosaica. Non modo per meditationem ut in secundo modo, sed & per repræsentationem solennem quasi iam præsentem, per personam idoneam, quæ in hoc, ministerium ecclesiæ gerere debet, sicut & eius typum gerit.

Ad doctrinam Pauli accedendo, Certum est primo, q; Paulus in locis allegatis & similibus loquitur de primo modo, quo corporaliter in cruce passus & mortuus est. Certum est secundo, q; hoc modo nullus offert Christum in missa, sicut & impossibile est ipsum iterato, hoc modo offerri. Certum est Tertio, q; sacerdos in missa non solam memoriam passionis Christi agit, iuxta secundum modum supra assignatum, quo modo quiuis fidelis in sua agit deuotione, alioqui quisquis passionem dominicam recoleret, missam celebraret. Ad Paulū

Infertur ergo ex ijs tertius modus, qui est per solē nem repræsentationem, in persona ecclesiæ, à ministro idoneo, ad hoc munus deputato, Qui quia officium summi sacerdotis Christi exercet & repræsentat non inconcinne sacerdotis insignitur titulo. Tertius modus per solennem repræsentationem.

His præmissis claret argumẽtorum ex dictis Pauli elicitorum dissolutio, Semel enim oblatus est realiter & corporaliter, quo modo inæternum amodo non offeretur, quo modo etiam idem sunt offerri, mori & sanguinem fundere, quo modo nihilominus pro omnibus peccatis totius mundi satisfecit, & electorum peccata exhausit, sanctificatosq; cõsummauit unde sacrificio missæ in nullo obsistunt. Quod autẽ substituitur, quod nullus offerre potest Christum nisi ipse seipsum, dictũ prophetæ oppugnat inquientis. Ob-
Esaiæ.53. latus est quia ipse uoluit. De hoc infra.

ASSERTIO DECIMAQVINTA DE NONNVLLIS SPICVLIS scuto ueritatis abigendis.

Sicut per scripturam sacrificium altaris confutari non potest. sic nec ratione conuelli. Moliuntur autem contrarium aduersarij impulsibus infra scriptis.

Prima instantia contra sacrificiũ altaris. Primo, Sacramentum altaris donum dei est, & opus eius, quod fidem exigit, Sacrificium autem opus nostrum est & donum nostrum, ex nostris rebus deo exhibitum, Et sic ex diametro pugnant.

Vnde infertur, quòd corpus Christi & sanguinem sacrificare, est substantiam sacramenti mutare.

Infertur secũdo, quòd ex opere dei fit opus nostrũ

Tertio infertur, quòd fides quæ in promissum dei donum est habenda, cum in opus nostrum per hunc modum

modum conuertitur extinguitur.

Respõsio. Argumentator falsa deluditur imaginatione, Imaginatur enim Primo, quòd ecclesia uel offerens sacrificium offerat deo quippiam de suo, eo modo quo alias fieri in oblationibus ad altare consueuit. Responsio.

Secundo, quòd illa oblatio sit proprie opus ecclesiæ uel ministri offerentis.

Tertio, quòd eadem oblatio & opus, sit meritum nostrum, quo mereamur & nobis & alijs, quæ omnia falsa & illusoria sunt, quod sic declaratur, ex saluatoris nostri institutione: instituit equidem sacramentum hoc in suæ passionis & oblationis in cruce pro nobis factæ memoriam, ut clarius Lucas & Paulus testantur, hæc autem memoria expressius celebratur & repræsentatur per hoc, quòd corpus Christi & sanguis offertur in altari cum sequenti sumptione sacramenti, quàm per solam sumptionem, pleniusq; omnia ibi concurrunt propter quæ est institutum, utpote quia perfectius ibi alitur fides, sublimius erigitur spes, ardentius inflammatur charitas. Hæc clarissime patent.

Illa igitur oblatio, qua ecclesia & suus minister in altari offert, aliud non est q̃ oblationis Christi in cruce factæ, non modo recordatio, sed & solennis repræsentatio, ut dictum est assertione præcedenti. Oblatio ecclesiæ quid sit.

Sequitur ex hoc, quòd fundamentaliter alia à

Christi oblatione non est. Sequitur secundo, ꝙ uerius est oblatio Christi (non noua, sed eius unica tali re=præsentatione renouata) q̃ ecclesiæ uel eius ministri.

Sequitur tertio, ꝙ non est opus nostrum quod à nobis progreditur (theologice non physice loquendo).

Sequitur quarto, ꝙ non est oblatio de nostris bonis, eo modo, quo aliàs de nostris offerimus bonis.

Sequitur quinto, ꝙ illud opus non facit minister ecclesiæ, tanq̃ per hoc aliquid Deo daturus ex suis, aut ut meritũ propriũ sibi aut alijs per hoc acquisiturus.

Sequitur sexto, ꝙ illa oblatio nõ minus fundatur super promißione Christi & fide q̃ sola communio.

Sequitur septimo, ꝙ hæc duo, oblatio & cõmunio non modo nõ discrepant, uerum quoq; in optima quadratura perfectius uerbum Christi consumant & cõplent, Dum ait, hoc facite in mei recordationem, cum & facere aliquam notet actionem.

Secũda instantia. 1. Corin. 11. Secũda instantia, Apostolus ad Corinthios de usu sacramenti huius scribens, & ipsos instituens, nullam de oblatione fecit mentionem.

Dilutio. Responsio, Apostolus in præfata epistola omnes fideles qui in Corintho erant instituit circa eius usum, quorum omnium offitium non fuit offerre, sed tantũ communionem accipere.

Tertia instantia. Tertia, id quod edimus, offerre non possumus.

Responsio, Falsum apparet & in hostijs ueteris testamenti, in quorum non nullis offerens, partem habebat

bebat ut claret in hostijs pacificis. Fallit *& in spiritualibus,* Nam *qua ratione non potest prius corpus* Chri*sti offerri, & postea summi, cum unum non praeiudicet alteri?*

Quarta, Sacrificia noui testamenti sunt mortificationes corporũ. Roma.12. *Spirituales hostiae.* 1.Pe.2 *Spiritus cõtribulatus.* Psal. 50. *Sacrificiũ laudis psal.* 61. *Sacrificium iustitiae psal.* 4. *& similia.* Quarta Roma. 12. 1.Pet.2. Psal. 50.

Responsio. Concedimus, sed & in ueteri Testamento fuerunt illa, à tempore enim lapsus humani generis necessaria fuerunt illa sacrifitia. Si ergo sacrifitia haec constituunt sacerdotium, erit illud commune omnibus hominibus, et spirituale, ac pro omni lege. Vnde sequitur, quod quoniam cum illo sacerdotio in ueteri lege stabat sacerdotium Aaronicum. Stabit ergo & in noua lege cum illo, sacerdotium Christianum.

Quinta. Saluator dicendo, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, pignus & sigillum suae promissionis dedit. Quomodo ergo sacrifitium & opus nostrum ex eo facere poßumus? Quis inter homines sigillum & pignus promittentis offert ipsi promittenti & non potius accipit à promittente & sibi seruat? Quinta

Responsio, Christus corpus & sanguinem suum, & per concomitantiam totum seipsum in hoc sacramento nobis dedit, in pignus, signũ & sigillum promissionis suae, qua seipsum nobis donaturus est in aeternitate, ut certi simus, quod sicut se nobis donauit ĩ uia,

sic & in patria cũ perpetuo sumus possessuri, & per hoc, sacramentũ illud est confirmatiuum sui testamẽti quod expressurus erat in cruce, signanter aũt sanguis ut figuratum quadret figuræ, nihilominus tamen corpus Christi & sanguis sunt præcium, quod pro nobis dedit. Vnde ait ad corpus (quòd pro uobis tradetur) Ad sanguinẽ (qui pro uobis effundetur) quæ sacrificauit deo patræ in cruce. Stant ergo simul quod sint pignus, præcium, & sacrificium. Vnde corporalum similitudo in his spiritualibus non habet locum.

Vt aũt uideatur, qualiter omnia hæc quadrent optime, cõsiderandum, quòd offerens hanc salutarem hostiam in altari, alio respectu recipit sacramentum, alio offert. Recipit ut priuata persona in fide cum fiducia diuinæ gratificationis, et æternæ fruitionis futuræ. Et hoc modo sibi est pignus salutis, & signum diuinæ gratificationis, Et illo respectu non offert. Quia autem minister est ecclesiæ Christi sponsæ, quæ à suo sponso hoc sacramentum pro charitatis & perpetuæ copulæ matrimonialis pignore, & pro sacrificio accepit, offerendo in persona ecclesiæ rememoratur, & repræsentat, ac in spiritu renouat oblationẽ Christi in cruce factam, & cũ deo patri quasi præsentialiter sistit in laudem & gratiarum actionẽ, sicut olim fiebat in hostijs pacificis, nihilominus pro mẽbris suis infirmis, et peccatis infectis offert cum deo patri ut hostiam pro peccatis, & in recognitionem suæ ardẽtissimæ charitatis

qua

qua eam dilexit, & econtra, ipsa præ amore in eum deficit & liquescit (& hoc in membris perfectis) offert eum in holocaustum totaliter charitatis igne crematũ. Unde quicq̃ minister ecclesiæ facit, nomine spõsæ facit, & ipsa sponsa offerendo, beneficiorum sui sponsi meminit, & gratitudine qua potest recognoscit, petitq; à patre, ut omnibus & singulis suis proficiat membris. Claret ex his quadratura optima oblationum ecclesiæ sub ueteri testamento, & unicæ oblationis eiusdem sub nouo, per omnes priores, figuratæ, Eluceťq; sub hoc intellectu copiosior fructuum Eucharistiæ exuberantia. Christus etenim (ut testatur apostolus) heri & hodie ipse & in secula. Ergo apud Christum caput & corpus suum mysticum (quod est ecclesia cum omnibus & singulis membris) nihil est præteritum & futurum. Vnde oblatio Christi in cruce, fuit in ueteri testamento ecclesiæ, in spiritu & uirtute ac promißione certa, præsentißima, pluribusq; sacrificijs figuralibus repræsentata. Est & ecclesiæ in nouo testamento per recordationem & repræsentationem, non figuralem, sed realem in missa, præsentissima. Ex quo infertur, quòd nunc non minus effectus suos operatur in sua spõsa, & apud patrem, q̃ dum actu paciebatur in cruce. His repulsis cõgressiuis armis à munitißimo altaris sacrificio facillime argumẽta siqua cõfingũtur, et cõgressus præsumpti abigũtur, Ex quibus bene trutinatis eliquantur & deteguntur errores infrascripti. Hebræ. 13.

ERROR VNDECIMVS

Lucæ. 22. *Errant circa hæc asserentes, ꝙ ex Euangelio Lucæ dicentis de consecratione sanguinis. Similiter & calicem postq̄ cœnauit dicens, Hic est calix nouum testamentum in meo sanguine. Et dicto beati Pauli, hic*
1. Corin. 11. *calix nouum testamentum est in sanguine meo, efficaciter cōcludi possit, Sanguinem Christi (cui uerba præfata iunguntur) esse nouum testamentum, in se continens ea, quæ in nouo promittuntur testamento, Et ex hoc inferri ꝙ sacramentum altaris non sit sacrificium. Supra etenim ostensum est, sanguinem Christi eatenus dici nouum testamentum, quatenus est ipsius confirmatiuum, ut in testamento ueteri sanguis hircorum & uitulorum. Præterea nullibi in scripturis diuinis integrum altaris sacramētū scilicet corpus Christi & sanguis dicitur nouum sacramentum. Indebite ergo nuncupatur hoc nomine, nec utrunq; simul ea omnia, quæ in testamento nouo promittuntur continet, Cum testamentum omnia bona testatoris, hæredibus legata, continere debeat.*

Sãguis Christi est noui testamenti confirmatiuum.

ERROR DVODECIMVS

Errãt proinde, Conantes ex uerbo Christi de calice sanguinis prolato, uidelicet, Qui pro uobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum, concludere efficaciter, ꝙ sumens sacramentū sub una uel utraq; spetie, consequatur omnium peccatorum remissionem, Cum uerba (in remissionem peccatorum)

non

non referantur ad sumẽtem sacramentũ, sed ad sanguinis effusionem in cruce fiendam pro dilutione peccatorum. Ex quo inferri non potest, q̃ quiuis sacramentũ sumens omnes illos consequatur effectus, quos Christus operatus est, lucratus est, à patre cœlesti, & per suã passionẽ, mortẽ, & sanguinis effusionem obtinuit. Et hoc ex ipsa sumptione in se cõsiderata. Verum potest tanta esse sumentis deuotio, q̃ mirabiles de arbore hac crucis Christi percipiet fructus, nõ enim æqualiter in omnibus operatur, nec æqualiter omnibus sapit. Sed de hoc infra in sectione tertia. Dictum etenim & declaratũ est supra, q̃ sacramentum illud ex Christi institutione, magis est signum rememoratiuũ præteriti, q̃ promissiuum futuri.

Non oĩs cõmunicaturus, consequutur effectus, quos Christus p suam passionem lucratus est.

ERROR DECIMVS TERTIVS

Errãt deniq; affirmantes, q̃ missa, ad hoc ut sit Euangelica, assimilari per omnes modos, ritus, ceremonias, & circumstãtias debet his, quæ à Christo in cœna circa huius institutionem & apostolorum cõmunicationem sunt gesta. Nam de modo prosequendi, celebrandi & administrandi saluator nihil ordinauit, sed ordinãda ecclesiæ sponsæ suæ per spiritum sanctũ instruendæ reliquit, nec ea quæ circa hoc sacramentũ gessit in cœna præcepit seruanda.

Cristus nõ præcepit oĩa quæ in cœna gessit seruanda.

ERROR DECIMVS QVARTVS

Errant nihilominus asserẽtes, q̃ offerre Christum deo patri in missa, sit ipsum iterato crucifigere, sanguinem

sed ordinā da ecclesiæ reliquit. uinem eius fundere, & occidere, sicut Iudæi fecerunt in sua passione. Si intelligerent per repræsentatiuam renouationem suæ passionis ex deuotione & gratiarum actione pro susceptione uirtutum, operationum, & fructuum eiusdem passionis & mortis, prout facit ecclesia, bene sentirent. Verum quia ex impossibilitate primi, scilicet iteratæ passionis & mortis Christi (qui amodo est immortalis) inferre conantur impossibilitatem secūdi, scilicet quòd nō possit in altaris sacramento offerri, errant, non intelligentes, aut intelligere nolentes modum supra assignatum, quo eum deo patri sistit ecclesia, & offert in missa.

ERROR DECIMVSQVINTVS

Errant præterea, qui affirmant, quòd ad percipiendum fructus, & bona legata testamēti & fœderis à Christo confecti, & cum Christiano (ipsius herede) pacti, & initi, non plus exigitur, q̄ fides in testatoris ueritatem & fidelitatem, & boni promissi uel legati certa expectatio, nam contrarium inuenitur in fœdere uel testamento ueteri & nouo, dicitur enim in Exodo. Assūmens Moses uolumen fœderis legit audiente populo, qui dixerunt, omnia quæ locutus est dominus faciemus, & erimus obedientes. Ille uero sumptū sanguinem respersit in populum, & ait. Hic est sanguis fœderis quod pepigit dominus uobiscum super cunctis sermonibus his. Dominus quoq; per Hieremiam de nouo testamento ait (adstipulante Paulo) Ec-

Exodi. 24

Hieremi. 31

Hebre. 8.

te dies uenient, & consummabo super domum Israël & super domum Iuda testamentum nouum, non secundum testamētum quod feci patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra ægypti, quia hoc est testamentum, quod dispo nam domui Israël post dies illos, dicit dominus, dabo leges meas in mentem eorum, & in corda eorum superscribam eas, & ero eis in deum & ipsi erunt mihi in populum.

Ex quibus infertur, quòd in fœdere & testamento dei nobiscum inito, & nobis facto, duplex ex parte nostra implicatur obligatio.

Biuaria obligatio, fidei scilicet & operū.

Vna fidei, ut diuinis promissis firmiter credamus (secundum formā tamen promissionis quæ cōditionalis est.) Alia operū, ad legem eius obseruandā, & hæc est conditio adiecta, his etenim subsistentibus erit ipse nobis in deum, promissa sua seruando, & nos erimus ei in populum, mandatis eius humiliter obtemperando.

Ex his supradictis liquido claret negatiue (in principio huius sectionis positæ) ueritas, uidelicet quòd oblatio christi in missæ celebratione nō est cōtra scripturam diuinam, quæ cuiuis fideli deberet sufficere, concurrēte usu uetustißimo, in ecclesia per spiritū sanctū introducto, approbato, & multiuarijs uirtutibus & operationibus miraculosis confirmato, ut merito impiū & temerarium decerni debeat cōtrariū iudiciū.

Oblatio missæ nō est contra scripturā sacram.

Ad firmiorem tamen huius ueritatis subsistentiā ostendenda est affirmatiua. spiritui & uirtuti scripturæ quadrans optimæ. Ad quod efficiendum reuocare ad memoriam placet ea quæ in replica contra perniciosum tractatum de abroganda missa, per me sunt in harenam producta, eò potissimum, ꝙ scriptum hoc in Germanicum idioma est transferendum.

ASSERTIO DECIMASEXTA

declarat per scripturam, Corpus Christi & sanguinem in missa, esse sacrifitium.

Seruator benedictus corpus suum & sanguinē ecclesiæ tradidit per suos ministros deo patri offerendum in suæ oblationis in crucæ factæ memoriam, & solennem repræsentationem, ac iugem renouationem effectuum & fructuum, per suam benedictam paßionem & mortem in ara crucis acquisitorum. Hæc probatur quadruplici auctoritate.

Prima probatio Malach. 1.

Prima est unius Euangelistæ sub ueteri testamēto, spectantis tamen ad nouum. Hic est Malachias, qui ex persona domini loquens ait, Non est mihi uoluntas in uobis dicit dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu uestra, ab ortu enim solis usq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus dicit dominus exercituum. Hæc auctoritas bene ma-

fticanda est. Quam etsi nonnulli nouatores aliter moliantur transferre, manet nihilominus fundamentalis sententia, proposito nostro bene quadrans.

Primo, perspicuum est q hic Propheta uel Euangelista loquitur de reprobatione sacrifitiorum ueteris legis, & sacrifitij nouae legis approbatione & acceptatione, Sicut & Psalmista ait. Sacrifitium & oblationem noluisti, aures autẽ perfecisti mihi, holocaustum & pro peccato non postulasti, tunc dixi, ecce uenio, in capite libri scriptum est de me. Psal. 39.

Secundo patet, q non de quibuslibet noui testamẽti sacrifitijs spiritualibus loquitur sed de sacrifitio uno singulari, Nam dicit, Oblatio munda, non oblationes mundae.

Tertio. Cum hoc sacrifitium nouae legis unicam uocat oblationem mundam, notat illius oblationis bonitatem per se, non referendo ad personas offerentes, Nam nullius hominis singularis assignari potest tale sacrifitium. Singularia etenim sacrifitia ex singularibus personis bonitatem accipiunt. Vnde de sacrifitio Abel dicitur. Respexit dominus ad Abel & ad munera eius, quia persona Abel sibi fuit accepta. Hic autem nulla de personis fit mentio. Ex quo infertur oblationem illam per se esse acceptam, qualis nulla est nisi personae filij dei domini nostri Iesu Christi. Gene. 4.

Quarto. Oblationem illam uocat mũdam sine personali nota, nulla autem talis est ex puro homine pro

diens

Esaiæ.64. diens, cum omnes iustitiæ nostræ sint sicut pannus mẽstruatæ, nimirum cum & ipse immundus sit corã districta dei iustitia. Vnde Iob ait. Si innocentem me ostendero, prauum me comprobabit, et si lotus fuero, quasi aquis niuis, & fulserint uelut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me. Multa in hanc sententiam ex diuinis eloquijs consarcinari possent, quòd homo ex se non habet oblationem mundam, quæ sua bonitate & mundicia intrinseca sit deo accepta, & stare poßit coram districta iustitia, ipsamq; conciliare. Vnde omnis nostra iusticia à deo acceptata, in uirtute alterius acceptatur & fulcitur, uidelicet Christi, si ei incorporatur. Ergo Propheta loquens de oblatione munda absolute, ad nullam personam relata, intelligit de oblatione Christi, quæ omnes alias nostras fulcit oblationes, & eas facit acceptas, ipsa equidem sola tanq̃ purißima stare potest coràm patre, etiam summe irato ad eum placandum, in qua nihil inuenit repudiandum.

Iob.9.

Iustitia nostra.

Quinto, Propheta sub eodem contextu loquitur de reprobatione sacrificiorum ueteris legis & substitutione sacrificij nouæ legis, quod oblationem mundam uocat. Ergo de illo sacrificio loquitur, quod sacrificijs ueteris legis succedit, & per ea est præfiguratum. Hoc autem aliud nõ est q̃ Christi sacrificiũ, quod solum in cõspectu cœlestis patris est mundum, & per se acceptum.

Sexto, de illo unico loquitur, quod totã respicit ecclesiam, sicut in praecedẽtibus locutus est de illis, quae respiciũt synagogam, quae in solo christo ueterauerũt Hebreos. 8

Septimo, Ex uerbo (in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda) infertur, quòd est oblatio corporalis. Oblatio enim spiritualis abstrahit à loco, sicut Saluator de adoratione ad mulierẽ Samaritanam dixit. Venit hora quando nec hic nec Hierosolymis adorabitis patrem, sed ueri adoratores adorabunt in spiritu & ueritate. Describitur nihilominus per prophetam corporalis locus, indeterminatus tamen, utpote in oĩ loco offertur & sacrificatur. Nõ sufficit, pphetae unũ nomẽ, scilicet offertur, addit quoq;, & sacrificatur, ut realis oblatio intelligatur. Ioannis. 4.

Octauo, Ex eodem uerbo intelligi datur illius oblationis unitas, licet enim in multis offeratur locis, unum tamen est & unum manet, nam dicit. In omni loco offertur & sacrificatur nomini meo oblatio munda, nõ ait, offeruntur oblationes mundae, sicut Petrus ait offerre spirituales hostias. 1. Petri. 2.

Nono, In uerbo (in omni loco) dat intelligere Euangelista ille, se non loqui de oblatione qua Christus se obtulit in passione moriendo pro nobis in cruce, quia illa facta est in uno loco scilicet in monte Caluariae, & una uice, quia Christus semel pro peccatis nostris mortuus est iustus pro iniustis. 1. Petri. 3.

Decimo, Ex omnibus praedictis indubitata con-

cluditur

cluditur, fide & ueritate corpus Christi in sacramento nobis donatum esse, illam oblationem mundã, quæ per ecclesiam offertur in altari deo patri in omni loco ut claret per totum mundum ubicunq; congregatio est fidelium, sicut olim in figura per Iudaicam offerebatur nationem, hoc est, Synagogam, restricte tamen quo ad locum. Et hic generalissimus ecclesiæ usus autenticam facit interpretationē præfatam, ut si alia fingatur, merito de mendatio fictor redargui poßit & notari.

Secũda autoritas. Secunda auctoritas est alterius Euangelistæ sub ueteri testamento, eius uidelicet, cui à domino dicitur, Esaiæ.40. Super montem excelsum ascende tu qui Euangelizas Esa.53. Syon. Hic de Christo ait, Oblatus est quia ipse uoluit. Hebre.9. De quo nihilominus apostolus ait, Semetipsum obtulit deo immaculatum.

Ex ijs duobus testibus abinuicem non discrepantibus infertur, q̃ Christus in cruce oblatus est paßiue, & seipsum obtulit actiue. Contra eos qui asserunt, q̃ Christũ nemo offerre potest nisi ipse seipsum. Et omne quod homo offert, minus ipso homine est. Hoc quoq; quod apostolus ait. Semetipsum obtulit deo immaculatum, quadrat ei quod per Malachiam dicitur, oblatio munda. Si itaq; Christus oblatus est, per alium uel alios oblatus est. Nam nullus oblatus dicitur per seipsum, aut à seipso, quod & uerbum sequēs notat, cum subnectit, Quia ipse uoluit scilicet offerri. Dat

ergo

ergo intelligere aliquem offerentem ab oblato distinctum, ille offerens, non fuit perfidus Iudaicus populus, qui eum non obtulit, quia nec offerendi intentionē habuit, quin eum uoce, petitione & instantia importuna crucifixit, sicut Petrus ait, In nomine Iesu Nazareni quem uos crucifixistis, iste astat coram uobis sanus. Act. 4.
Infertur ex hoc, quòd ecclesia sua sponsa (quæ eadem est in ueteri & nouo testamento, q̄ & ipsum sub lege Mosi in omnibus illius legis sacrificijs figuraliter obtulit) ipsa eadem in nouo testamento deo patri in ara crucis in propria obtulit persona, et illius suæ oblationis solennem et cottidianam celebrat in altari offerendo memoriam & repræsentationem. Ecclesia eadē est in ueteri & nouo testamēto.

Tertia auctoritas, est saluatoris nostri benedicti, qui suæ institutionis huius sacramenti unicam assignat caussam, uidelicet, Hoc facite in mei recordationē, quibus etiam uerbis salutiferum hoc instituit sacramentum. Sanctus quoq; Paulus nullam aliam aßignat, sed eandem repetit dicens, hoc facite in meam cōmemorationē, Cum ergo seruator noster pro unica hac caussa hoc instituerit sacramentum, tanq̄ signum rememoratiuum suæ paßionis, et oblationis in cruce ex maxima charitate factæ, sicut eius testantur uerba, de corpore Quod pro uobis tradetur, Et de sanguine. Qui pro uobis effundetur. Sequitur, q̄ in recordationem & repræsentationem illius oblationis in cruce debet ipse Saluatoris auctoritas. 1. Corin. 11

Christus debet cottidie offerri in hoc sacramēto, in recordationē & repraesentationē oblationis in cruce.

Christus in hoc sacramento cottidie offerri deo patri, & post oblationem sumi, in his enim duobus perfectior est charitatis Christi in sua paßione nobis ostensi recordatio, & clarior repraesentatio, perfectiusq́ exercetur fides, sublimius eleuatur spes, & ardentius inflammatur charitas, q̄ per solum esum, hoc proinde modo uerius (praedictorum duorum prophetarum) & perfectius complētur uaticinia, quia offertur per ecclesiam Deo patri, quoniam ipse uoluit, & uult sic offerri, & in omni loco ecclesiastici orbis offertur & sacrificatur Deo oblatio munda, quae per se munda existens, est dei placatiua.

Ezech. 1.

Secundum illum denique intellectum, in hoc sacramento clarius conspicitur, quomodo sit rota in medio rotae, hoc est, uetus testamentum ut figura in nouo, & nouum ut ueritas in ueteri figurante, quod enim ecclesia in ueteri lege sacrificijs & holocaustomatibus figurabat, hoc sub nouo testamento factū repraesentat, & cottidiana oblatiōe testatur, ipso sanctißimo sacrificio contestans, quod sponsus suus sibi fidem seruauit

Consectarium primū.

Vnde claret, q̄ optime & pulcherrime secundum hunc intellectū omnia sibi quadrant. Claret denique,

Secundum.

q̄ nihil sibi aduersantur, sacramentum hoc sanctißimū esse cōmunionem & sacrificium, Imo perfectius illud dulcißimū memoriale consummant, dum exuberantissimam suam recolimus charitatem in duplici effectu nobis & ostensam & exhibitam, amarosißima proinde

inde eius paſcimur memoria, qua ſeipſum pro nobis in cruce immolauit, patrem placauit, & omnia bona obtinuit, edendo quoq; ac cõmunicando eius beatiſſima reficimur præſentia, imo perfectius oblationem eius in cruce factam, repræſentamus in altari ipſum offerendo, quàm in ſacramento ſumendo.

Quarta autoritas datur eccleſiæ, reuera non puſilla, quam omnes ſancti in magna habuerunt reuerentia ipſa etenim ſponſa Ieſu Chriſti eſt, quod omnibus fidelibus perſpicuũ eſſe debet, ſponſum ſuum habens præſentiſſimum, iuxta ipſius promiſſum, Ecce ego uobiſcum ſum omnibus diebus usq; ad conſummationẽ ſeculi. *Habet & ſpiritum ſponſi ſcilicet ſpiritumſanctum qui proprius eſt ſponſæ eccleſiæ ſpiritus hic eã regit, protegit, ſaluat, illuminat, uiuificat, à malo præſeruat & ad omne bonum prouehit, in optimo quoq; cõſummant, hic (cum dicatur & ſit ſpiritus ueritatis docens omnem ueritatem) nõ poteſt in eccleſia errorẽ tollerare contra fidẽ, ſic q tota eccleſia aberret à fide, & (cũ ipſe ſponſus ſpõſæ præſentiſsimus dicat,* Ego ſum uia *ueritas & uita) non poterit ſinere eccleſiam ſuam deuiare, errare, & à uera uita (qua per charitatẽ in deo uiuit & deus in ea) deficere, Vnde uniuerſalis eccleſiæ fides circa aliquem articulum, diuinã ſcripturam cõcernentẽ, indubie uera & certa eſt, fundatur equidẽ in promiſſo Chriſti certiſſimo, talis eſt eccleſiæ fides circa hoc ſacramẽtũ ſctiſsimũ, q ſit & ſacramẽtũ*

Auctoritas eccleſiæ.

Math. 28.

Spiritusſanctus eſt proprius ſpiritus eccleſiæ

Ioannis. 16.

Ioannis. 14.

& sacrificium, & sub utroq; modo & intellectu à tē-
pore apostolorum est in ecclesia uniuersali frequenta
tum, nullo repugnante, nullo sanctorum doctorum cō
Mirū est as- trarium scribente, unde mirum est, quo pacto fideles
sertioni cō- fidem assertioni contrariæ accomodare possunt,
trarie fidē
adhibere.

ASSERTIO DECIMASEPTIMA
manuducit per rationes Missam esse
sacrificium.

Corpus Christi & sanguinem in missa esse sacrifi-
cium, pluribus persuaderi potest rationibus. Harum
Primarō. prima, ex figuræ impletione, in Genesi legitur, quòd
Gene.14. Melchisedech rex Salem occurrit abre reuertenti de
cæde quatuor regū, proferens panem & uinū ad imo
landū deo, Erat enim sacerdos dei altißimi. Hic Chri-
stum figurat, ut apostolus Paulus deducit, adducens il
Hebre.7. lud Psalmi. Iurauit dominus & non pœnitebit eum,
Psal.102. tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchi-
sedech. Hæc figura clarius lucet, & repræsentat per-
fectius, cum sacramentum sub specie panis & uini of
Ecclesia u- fertur deo patri in altari, ecclesia enim corpus Chri-
na est cum sti capitis, unum est cum capite, Ex qua unitate, quicq;
capite. ipsa facit ex ordinatione diuina, Christus facere dici-
tur. Vnde ipsa offerente, Christus offert, ut sic per il-
lam unitatem, offerens sit & oblatus.

Secūda ratio Secunda. Ob edificandam fidem, Sacramenta ete-
nim sunt ad fidei ædificationem instituta diuinitus,
que

quæ amplius exercetur, cum altaris sacramentum & in communionem, & in sacrificium creditur institutũ, q̃ in unum illorum solum. Nam duplex habet obiectũ, equidem communione fideles ad inuicem, sacrificio uero ad patrem nectuntur. Duplex obiectũ illius sacramenti.

Tertia. Amplius per hoc dilatatur charitas, siquidem per communionem soli proficit communicanti. Sub ratione autem sacrificij tanquàm commune bonum, in omnia diffunditur membra ecclesiæ militantis, fructuũ illius capacia. Sancta enim mater ecclesia pro omnibus filijs suis solicita, cottidie pro eis sacrificat, & illo gratissimo sacrificio deum placat, grata nihilominus per se existens, sicut sanctus Iob sanctificabat filios suos, consurgensq; diluculo offerebat holocausta per singulos. Unde non est simile de hoc sacramento, & alijs, alia enim pro sola personali sanctificatione sunt instituta, ut solum suscipiẽti prosint, hoc autem est sacramentum communitatis & unitatis fidelium. Præterea hic est gratia subsistens scilicet unigenitus dei filius, in alijs uero gratia inherens sicut in uasis, eo modo, quo signa gratiã continent quã signãt. Tertia Iob.1.

Quarta. Est plenior passionis Christi repræsentatio, ut enim est dictum, Christus sacramentum hoc in suæ passionis & mortis instituit memoriam, Sic apostolus ait, mortem domini annunciabitis, in passione autem sua, seipsum pro nobis obtulit, & ab ecclesia Quarta 1.Corin.11.

pro nobis oblatus est, per quod sibi sumus incorporati, qui duplex effectus scilicet placationis erga patrē & incorporationis erga Christum, duplici præfato repræsentari debet sacramenti usu.

Quinta Quinta. Cumulatiores ex hoc duplici usu pullulāt in ecclesia fructus, in ratiōe enim sacrificij, ab ecclesia & pro ecclesia facti, purgantur fidelium peccata, placatur dei patris ira, & omnia impetrātur bona, quid enim pater negabit filij paßione, & morte sibi præsentata, & recenti memoria renouata?

Sexta Sexta. Amplior excrescit ex hoc fidelium deuotio, & claret, omnium equidem fidelium fides & deuotio erga hoc feruescit sacrificium, sicut & semper eferbuit, nec hoc alia eget probatione.

Septima Septima, Ex debito sumitur cultus diuini à toto homine, deo exhibendi, quia enim ex anima & corpore constat, ex utroq; tenetur deum colere, nam etsi cultus

Iohan. 4. interior in spiritu principalis sit, q celebratur in fide, spe, & charitate, nihilominus exterior exigitur, interioris quandā præ se ferens imaginē, & hic corporalis erit & sensibilis, soli tamen maiestati diuinæ tributus, quo sicut spiritus interius cōcremat incensum, sic foris anima in atrio sui corporis sacrificet, hūc mater ecclesiæ in ecclesijs statuit frequentandum, ut filij ecclesiæ in ecclesijs benedicant dominum de fontibus Israël, sicq; tota domus plena sit à dei maiestate, hic

cultus

cultus, sacrificium expetit, nam in omni cultu sacrificium est de potissimis unum, unde & in lege naturae & Mosaica fuerunt in cultu ueri dei sacrificia, in cultu quoq; idolotico apud omnes gentes sacrificabatur dijs, quasi sit de lege naturae diuinis numinibus sacrificare. Porro sacrificium hoc nouae legis sensibile debet esse, aut sensibilibus signis uelatum, ut sic exteriori quadret cultui.

ERROR DECIMVSSEXTVS

Claret ex his error, asserentium corpus Christi & sanguinem in missa non esse sacrificium, sed solummodo ad sumptionem & communionem esse ordinatum, omnesq; argumentationes & probationes ad hoc indictas, uel inducendas esse falsas, illusorias, & toti ecclesiae praeiudiciales, cum ex hoc sequeretur, ipsam fuisse ab apostolorum temporibus usq; huc impiam, idolatram, & blasphemam, sicut illi assertores ex suis inferunt argumentis, quae de ipsa sentire, q̃ absurdum & nephas sit, nullus fidelium pie de ea sentiens non intelligit.

ASSERTIO DECIMAOCTAVA DE SACRIFICII HVIVS idoneo ministro.

Sacerdos minister ecclesiae hoc sacrificium offerre debet.

Sacrificium illud ecclesiae offerri deo patri (modo supra assignato) debet per ministrum ecclesiae, non humana praesumptione, sed diuina uocatione institutũ.

Probatur primo, Sacrificium nempe illud est ipsi *us ecclesiæ Christi sponsæ, qui eam hoc dotauit & di*-*tauit munere, ut habeat, unde Deum patrem pro sua prole placet, offerturq; in eius persona & nomine.*

Secundo, ministri Christi & ecclesiæ sunt dispen- 1.Corin. 4 *satores mysteriorum dei (teste Apostolo) Sic nos ex*-*stimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores my*-*steriorū dei (et loquitur de seipso, Timotheo, Sosthe*-*ne, & similibus, prout literæ circumstantiæ indicant) Inter quæ hoc grande est, ergo ad solos ecclesiæ spe*-*ctat ministros. Ex quo etiam declaratur adiecta clau*-*sula (scilicet, nō humana præsumptione, sed diuina uo*-*catione institutum). Duo equidem sunt ecclesiæ mini*-*stro necessaria.*

Ministro ecclesiæ necessaria est idoneitas.

Primum est idoneitas (ut Apostolus de se et alijs ec-*clesiæ ministris dicit) Qui & idoneos nos fecit mini*-*stros noui testamenti, non literæ, sed spiritus.* 2.Corin.3.

Secundo fidelitas.

Secundum, fidelitas (eodem dicente) illud queritur in dispensatoribus ut fidelis quis inueniatur. 1.Corin.4.

Ex quibus infertur, quòd ad illud ministerium ido-*neæ & fideliter dispensandum, necessario requiritur dei donum speciale, quod infallibiliter donatur cuiuis ministro diuinitus uocato, Neutiquā enim deus uocat quempiam ad munus aliquod spirituale administran*-*dum, quin eum dotet dono, ad salubrem ipsius admini*-*strationem necessario. Vnde diuersa ministeria in ec*-

Tertio, donū dei speciale.

clesia, diuersa expetunt dona, adstipulatur apostolus ad Corint. Quosdam (inquiens) posuit deus in ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde uirtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarũ, interpretationes sermonũ. Et ad Ephesios ait. Ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem Prophetas, alios uero Euangelistas, alios autem pastores & doctores. Debent ergo ad ministerium hoc exequendũ assumi, qui dono requisito sunt præditi, nec quisq̃ assumit sibi honorem, sed qui uocatur à deo, tanquam Aaron. Porro hæc uocatio nonnunq̃ fit à deo immediate, quo modo uocati sunt Paulus & Barnabas, dicente spiritu sancto. Segregate mihi Barnabam & Saulum in opus ad quod accersiui eos. Plerumq; per suos substitutos pastores, quemadmodum apostoli in singulis prouinciis & urbibus, conuersis fidelibus subdelegauerunt ministros, testimonio sunt epistolæ Pauli ad Timot. & Titum, quorum primum Ephesi præfecit archiepiscopum, secundum Cretæ, iniungens eis, ut per singulas ciuitates instituerent episcopos, secundum normam eis ab ipso traditam. Nullus equidem currere debet nisi missus. Non mittebam eos (ait dominus p propbetam) & ipsi currebant. Et apostolus; Quomodo prædicabunt, nisi mittantur, Sunt equidem annexa, nõ tamen inseparabiliter, ministeria uerbi dei, in spiritu

1.Corin.12.
Ephe.4.
Hebre.5.
Vocatio dei duplex immediata, uide licet & mediata.
Act.13.
1.Timo.3.
Titum.1.
Hiere.23.
Roma.10.

per prædicationem, & in carne per sacramenti altaris oblationem & communicationem.

Quare sacerdotes nõ appellẽtur hoc nomine in nouo testa. ut in ueteri. *Cum igitur ex his eluceat, ministros ecclesiæ in nouo testamento sortitos esse sacrificationis ministerium in missa, modo superius assignato, cur scriptura sacra non nuncupat eos in eodem testamento, sacerdotes.*

Responsio, Primo, ne Aaronicum adhuc durare uideatur sacerdocium, quod umbram habet futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Secundo, ut intelligatur totum Aaronicum sacerdociũ in Christum transisse, qui est sacerdos in æternum, non secundum ordinem Aaron, sed Melchisedech. Tertio, ut signetur, quòd ministri noui testamenti in sacrificio altaris nil noui offerunt, sed solum Christi ueri & summi sacerdotis oblationẽ semel in cruce realiter & corporaliter factam, per recordationem & repræsentationem renouant. Quarto, pro noui testamenti humilitate, unde testamentum nouum nullum ministris suis gloriosum impertit titulum, qui in prælationem aut dignitatem sonet, sed uocat eos seruos, ministros, pastores, episcopos, hoc est, curam & uigilantiam ac laborem fidelibus impendentes. Hebræ, 10. Psal. 109.

Sacramentũ ordinis ĩ scriptura fundatur diuina. *Potest & ex prædictis elici, sacramentum ordinis in scriptura diuina sufficienter esse fundatum, tum quo ad gratiam, quæ infallibiliter confertur in eo à deo, tum quo ad signum sensibile. Quo ad gratiam uel*

donum

donum spirituale patet ex dictis beati Pauli *supra alle* 2.Corin.3.
gatis, uidelicet, qui & idoneos nos fecit ministros, ido
neitas hæc non est sine dono diuino, & posuit deus in 1.Corin.12
ecclesia apostolos, prophetas &c. ut enim est dictum Ephe.4.
Deus suæ uocationi infallibiliter aßistit, ad donum uo
cationi quadrans conferendum, alioqui imponeret ho
mini onus ad exequendũ impoßibile, nam ministeria
eccl siæ salubriter administrari ex naturæ uiribus
est impoßibile, huius manuductio habetur in Dauid, 1.Reg.16.
postq̃ unctus est iussu domini à Samuele, directus est
spiritus domini à die illa in Dauid; *& deinceps. Quo*
ad signum quoq; sensibile, nam in ordinatione & in-
stitutione ministrorum ecclesiæ apostoli instituendis
imponebant manus, testatur Paulus *ad* Timotheum 2.Timo.1.
scribens, Ammoneo *(inquit) te, ut resuscites gratiam*
dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearũ,
En *per impositionem manuum apostolicarum recepit*
gratiam; nec est asserendum ullo modo, quod aposto
li imponebant manus, in confirmatione & ordinatio-
ne sine diuina institutione, arguerentur enim, q; pro-
pria temeritate præsumpsissent, nec tamen alicubi
scriptum legimus, hoc eis à domino constitutum.

Ex *quo infertur non oĩa in ecclesia agenda esse in di*
uinis uoluminibus conscripta, etiam circa maiora, ut-
pote, ministrorũ ecclesiæ institutionem & gratiæ col
lationem, ad eundem sensum ait eidem, noli negligere
gratiam

1.Timo.4. gratiam quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyteri. Ipsum denique circa ministrorum ecclesiae institutionem instruens, dicit. Manus
1.Timo.5. cito nemini imposueris, Unde infertur, quod manuum apostolicarum impositio, et successorum ipsorum, sensibile signum fuit, & est (in ordinatione ministrorum ecclesiae) effectus alicuius spiritualis ex institutione diuina, sicut et in cōfirmatione, prout deduxi in alio tractatu de sacerdocio noui testamēti indagine. 7. Quod autem additur, unctio, bene quadrat effectui spirituali qui confertur, aequum etenim est, ut ministerium noui testamenti alludat ministerio ueteris, in quo ministri ungebantur, sicut figuratum figurae.

Ordo igitur clericalis ex institutione diuina roboratur, & est fundatus, Unde & status quidā in ecclesiastica nuncupatur Hierarchia, sine poenitentia enim
Roma.11. sunt dona dei & uocatio.

ERROR DECIMVSSEPTIMVS

Errant igitur asserentes statum clericalem, prout à laicali discriminatur, nō esse à Christo institutum, sed praesumptione humana inuētum, intelligendo per statum clericalem, praefatam ministrorum ecclesiae institutionem, aut in ordine suo consistentiam, cum habeat in scriptura diuina sufficiens fundamentum, etenim in uirtute & spiritu scripturae continetur, quicq̄ ex ea extrahi, & elici potest.

ERROR

ERROR DECIMVS OCTAVVS

Errant similiter asserentes, quòd clericus in nullo distinguitur à laicali nisi penes officium et administrationem, quibus si destituatur, fiat purus laicus. Cõtrarium patet, Nam distinguitur per diuinam uocationem, qua clericus ad ministerium uerbi dei & in spiritu, & in carne in sacramento, administrandi. Ad alia quoq; quæ ministrorum ecclesiæ concernunt officium est uocatus, diuino munere do atus, & per ecclesiam solenniter ordinatus, laicus uero non, quamuis ex hoc quòd membrnm Christi est, idoneitatem ad hoc ministerium habeat, sed remotam, quia ex communi Christianismo ei non competit. Loquimur autem de illis ecclesiæ ministris, qui rite instituuntur, non qui aliunde ascendunt in ouile. *Clericus distinguitur à laico per diuinã uocationem,*

ERROR DECIMVSNONVS

Ex eisdem radicibus confutatur error dicentium, ministrorũ ecclesiæ institutionem fieri debere per populares, nec non destitutionem, ut sic sit in manu populi uocatio ad seminandũ uerbum dei, ad omniaq; alia, curam animarum, & sacramentorũ ecclesiæ administrationem cõcernentia, eo modo, quo sculteti uel magistri ciuiũ instituũtur & destituuntur, exemplo Hieroboam, qui fecit de nouissimis populi sacerdotes, hoc cũ discrepet ab exẽplo, doctrina, & factis Christi, à doctrina quoq; apostolica, tanq̃ erroneum est refutandum, 3,Reg.13.

futandum, ratio quam ponunt (uidelicet quod omnes facti sumus sacerdotes in baptismo) non ualet, sacerdocium enim in baptismo adeptũ spirituale est, ad offerendum spirituales hostias, & in spiritu administratur erga deum & seipsum. Illud autem ecclesiasticum ordinatur & ædificandum ecclesiam & proximum, ad quod requiritur diuina uocatio immediata uel mediata, & ecclesiastica institutio.

ASSERTIO DECIMANONA PRO quibus personis hoc sacrificiũ est offerendum.

Hæc deducetur per sex directiones. Prima directio. Sacrificium missæ est, uniuersalis ecclesiæ matricis prout contra triumphatricem distinguitur, probatur. Nã sacrificiũ altaris, aliud nõ est à sacrificio Christi in altari crucis, ut supra est ostensum. Christus autem in cruce non modo seipsum obtulit, sed & oblatus est ab ecclesia, ut est declaratũ assertione decimaquinta ex Esaia, oblatus est quia ipse uoluit, & sic sacrificium sponsæ idem omnino est cum sacrificio spõsi, sicut & unum sunt.

Esaiæ.53.

Sacrificiũ sponsæ idẽ est cum sacrificio spõsi.

Secunda, sponsa Christi ecclesia offert sacrificium illud deo patri per ministrum idoneum, ab ipsa ad hoc diuina autoritate institutum, pro omnibus filiis & filiabus suis pro tempore existẽtibus, capacibus & indigentibus, materno affectu. Probatur. Ecclesia corpus Christi mysticum est, cui omni membrorum suorũ

cõmissa est cura & solicitudo, sicuti corpus naturale pro bono membrorũ naturalem gerit solicitudinem. Bona equidem corporis consistentia ex bona & sana omnium membrorum qualificatione consurgit, potissi ma autem cura materna pro prole est, ut sit in gratia dei, & eius uoluntatem perficiat, ac ab omni eius caue at offensa, quam si admiserit celerius extergatur, sicut Iob consurgens diluculo offerebat pro filiis holocausta per singulos, dicebat enim ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint deo in cordibus suis, sic faciebat Iob cunctis diebus. Iob.1.

Tertia, ecclesiæ uiatricis membra sunt omnes fideles, qui non sunt in termino gloriæ (qui cœlestis nuncupatur patria) Claret ex eo, quia solum duo modi essendi sunt, scilicet in uia, & in patria siue termino. Solum duo sunt modi essendi scilicet in uia et patria.

Quarta, Existentes in purgatorio spectant ad ecclesiam uiatricẽ, tum quia sunt in uia ad gloriam, quã nondum adepti sunt, tum quia purgationis caussa in ecclesia uiatrice est contracta,

Quinta, Existentes in purgatorio, capaces suffragiorum sunt, eorum qui sunt in ecclesia militante & corpore mortali, patet, Nam mortalitas & immortalitas nihil faciunt ad essentialem connexionem & consistentiam membrorum, in corpore Christi mystico, quia non in carne, sed in spiritu uersatur.

Sexta, Viuentes in corpore mortali in ecclesia

militante, ex lege charitatis suffragari tenentur his,
1. Corin. 13. qui sunt in purgatorio, Charitas equidem nunq̃ exci-
dit, unde non est conditioni corporis, aut status alligá
tá, tenetur ergo Christianus ex charitate suffragari
Nota. omnibus, qui egent & sunt capaces, cuiusmodi sunt
æque in purgatorio existentes, atq; in carne mortali
adhuc degentes.

CONSECTARIVM PRIMVM

Pro omnibus offerendũ est hoc sacrificium

Infertur ex dictis, quòd generaliter offerēdum est sacrificium illud pro omnibus, pro quibus est orandũ, est enim commune suffragium ecclesiæ, omniumq; ac singulorum membrorum eius capacium & egencium, à quo nullus est excludendus. Quamuis enim saluator noster in cruce seipsum deo patri obtulit pro solis prædestinatis, quia tamen nos, oues ab hedis discernere nequimus, & seruator noster præcipit diligere inimicos, & pro eis orare, debemus & pro eis offerre sacrificium illud placationis, nam omnes uiatores in corpore mortali degentes, sunt efficientiæ eius capaces quo ad statum, sunt & suffragio egentes, Porrò gratificationem dei, pro quibus in particulari accep- tare uelit ipsi committimus, nostrum est, erga omnes charitatis & pietatis implere officium.

Math.

CONSECTARIVM SECVNDVM

Infertur secundo, quòd pro tribus hominum generibus sacrificium hoc est offerendum.

Primo

Primo, pro peccatoribus adhuc dei inimicis, ut resipiscant, sicut Christus in cruce seipsum pro crucifixoribus obtulit, & pro transgressoribus orauit, ne perirent, dicens: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.

Offerri debet hoc sacrificium pro peccatoribus. Esaiæ. 53. Lucæ. 23.

Secundo, pro iustis, ut in iustitia conseruentur & exerceantur.

Pro iustis

Tertio, pro existentibus in purgatorio, ut uirtute huius sacrificij celerius expurgentur & clarificentur. Omnia enim hæc tria genera, communionem nobiscũ habent, in ratione capacitatis suffragiorum, sic quòd charitatis & humanitatis officium eis impendere possumus & debemus.

pro animabus purgandis.

CONSECTARIVM TERTIVM

Infertur Tertiò, Cũ nõ discrepet à charitate & à scripturæ diuinæ ueritate, quòd quis oret pro aliquo in particulari, & opus aliquod bonum pro eo faciat, de alio uel de alijs interea non cogitando, neminem tamen in generali, à suo suffragio excludendo, poterit & sacrificium illud offerri in particulari, pro aliquo uel aliquibus uiuis uel defunctis, ad illos specialiter intentionem dirigendo, sicut in corpore naturali unum membrum (præter solicitudinem quam ad totum corpus naturaliter gerit) pro alio commembro est solicitum, cum & unum plus alio egeat, & suffragium exposcat, prout metaphoram hanc profuse Paulus pro

Potest aliquis pro aliquo in particulari orare & celebrare.

f   sequitur

1.Corin.12. sequitur ad Corinth. scribens sic tamen quòd in com-
muni intentionem suam ad totam ecclesiam, & omnia
eius membra dirigat, nullum selegendo. Hoc modo fie
Act.12. bat à fidelibus oratio sine intermissione pro Petro. Et
2.Timot.1 Paulus Timotheo scribit. Sine intermissione memoriã
tui facio in orationibus meis.

ERROR VICESIMVS

Errant præterea, qui asserunt missam non prodes-
se defunctis, quos autumant, nullam amodo nobis-
cum habere communionem, sed in manu dei consiste
re. Cõsistunt quidem in manu dei, sed quòd ex hoc nul
lam nobiscum habeant communionem, falsum & erro
neum est, si in charitate decesserunt, sicut de omnibus
pie debemus præsumere, cum certitudinaliter contra
rium nobis non constat, nam secus iudicare, contra
fraternam militat charitatem, huiusmodi enim asser-
tores membra corporis Christi ab inuicem seiungere
conantur, quæ ipse coniunxit in charitate, teste Apo
stolo. Christus caput est, ex quo totum corpus compa
Ephe.4. ctum & connexum per omnem iuncturam submini-
Vita præ- strationis, secundum operationem in mensuram uni-
sens & fu- uscuiusq; membri augmentum corporis, facit in ædi-
tura non al ficationem sui in charitate. Charitas equidem glutinũ
terant cha- est, omnia membra Christi cõpingens, cui mortalitas
ritatẽ nec & immortalitas, uita præsens & futura, in carne &
diminuunt. extra carnem, accidunt, & per se nec augent eam, nec
minuunt

minuunt, nec alterant.

ERROR VICESIMVSPRIMVS

Errant proinde asserentes missam nulli prodesse, nisi soli sacramentum recipienti, sicut baptismus solum baptizato prodest, nam nullus potest pro alio baptizari.

Fundamentum horum est, quod missa sit sola communio, non autem oblatio, & quia fundamentum ruinosum est, non stabit ædificium, ut habunde supra est declaratũ, & sacrificium stabilitum. Vnde similitudo de baptismo non tenet. Baptismus enim sacramentum est, personam priuatam respiciens, ab hoc fructus eius personam non excedit. Sacramentum uero altaris, nõ solam personam priuatam respicit, sed & totam ecclesiam, & singula eius membra, tum quia ibi personaliter est caput, omnia membra connectẽs, tum quia sacramentum est communionis membrorum adinuicem, tum quia ibi recolitur & repræsentatur commune sacrificium redemptionis humanæ. *Similitudo claudicans.*

ASSERTIO VICESIMASECVNDA PRO QVIBVS CAVSsis est offerendum.

Sacrificium illud sanctissimum, primo & principaliter Deo patri est offerendum, ea

Missa offerri debet deo patri, ea intentione, q̃ Christus instituit.

intent.one, qua Christus instituit, quam expressit cum dixit. Hoc facite in meam cõmemorationem. Est itaq; offerendum in preconum & laudem suæ immensæ bonitatis, in recognitionem suæ maximæ erga nos charitatis, in gratiarum actionem pro omnibus suis beneficijs.

Secundo p tota ecclesia.

Math. 24.

Secundo, quo ad ecclesiam, offerendum est pro tota ecclesia Christi sponsa pro tempore existente, quæ hoc munus à suo recepit sponso. Est equidem sacramẽtum communionis omnium fidelium, iuxta illud saluatoris. Vbicunq; fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Offerendum proinde est pro omnibus malis dimouendis, & bonis obtinendis, omnium fidelium pro tempore existentium, pro quibus Christus in cruce seipsum Deo patri obtulit, quia enim eadem est, cũ Christi oblatione (ut est dictum) eadem quoq; intentione offerri debet, unde minister offerens, generalem suam intentionem ad Christi intentionem, uoluntatem & beneplacitum referre debet.

Tertio pro priuatis p̃sonis.

Missa est iræ dei pris placatiua et

Tertio, quo ad priuatas personas, offerri potest pro singulorum necessitatibus. Hoc nempe sacrificiũ realiter in cruce oblatum, & in altari per actualem repræsentationem & renouationem Deo patri præsentatum, est primo, iræ dei patris, contra transgressionem primorum parentum placatiuum, & per consequens peccati originalis, quo ad offensam, detersiuum

quod

quod in omne hominum genus, ut uenenum quoddã, est diffusum, quia (teste Apostolo) omnes nascimur natura filij iræ. Salui autem erimus ab ira per ipsum Christum. Vnde Ioannes ait. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum. Et ipse est propiciatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed & pro totius mundi. Et alibi. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus deũ, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propiciationem pro peccatis nostris.

offensę detersiua.

Ephe. 2.

Roma. 5.

1. Ioan. 2.

1. Ioan. 4.

Est secundo, satisfactorium pro omnibus peccatis nostris. testatur Paulus. Habemus redemptionem per sanguinem ipsius remißionem peccatorum, secundũ diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis. Et in actis apostolicis. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, accipere remißionem peccatorum per nomen eius, omnes qui credunt in eum.

Satisfactoria pro peccatis.

Ephe. 1.

Act. 10.

Est tertio, Omnis boni impetratiuum, quod ad triplicem reducitur gratiam, uidelicet iustificantẽ, proficientem, & finaliter consummantẽ, quæ est gloria cœlestis

Omnis boni imperatiua.

ASSERTIO VICESIMAPRIMA de abolitione omnis culpæ.

Oblatio Christi in cruce, quæ in missa renouatur & repræsentatur, est omnis culpæ abolitiua. Ponitur autem duplex culpa uidelicet originalis & actualis.

Culpa duplex.

Originalis in prole

Originalis culpa dicitur primorum parentum in prole, quæ tamen in ipsis fuit actualis, quia proprio actu commiserunt, hæc est mortalis, quia iram dei adducit, & per consequens damnationem æternam.

Actualis duplex, uenialis & mortalis.

Actualis uero dicitur, quam filij & filiæ Adæ & Euæ proprio committunt actu, hæc discriminatur in uenialem & mortalem, quæ distinctio non est per intrinsecam earum rationem, nam quælibet culpa est offensa rectitudinis & iusticiæ, quia quædam curuitas & per consequens quædam dei offensa, quæ secundũ strictam & seueram dei iusticiam plectẽda esset morte æterna, uerum ex dei misericordia & merito Christi, quædam dicũtur uenialia. Obtinuit equidem Christus nobis apud patrem, quòd peccata ex naturæ infectione, præter deliberatum consensum prodeuntia & commissa, non imputentur ad mortem. Sicq; uoluntas dei distingui inter uenialia & mortalia, quæ est caussa nostrorum actuum extrinseca. Et hoc pacto intelligitur beatus Paulus dicens. Nihil ergo nunc damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu, qui non secũdum carnem ambulant, lex enim spiritus uitæ in Christo Iesu, liberauit me à lege peccati & mortis, Nam quod impoßibile erat legi, ea parte qua imbecillis erat per carnem, hoc deus proprio filio misso sub similitudine carnis peccati præstitit, Hæc ille. Fideles nempe Christo per fidem incorporati, qui sunt in ipso per

Venialis

Roma. 8.

chari

charitatem, qui non ambulant secundum carnem, per diuinorum mandatorum transgressionem deliberatam, ex peccatis per humanam fragilitatem commissis, nihil incurrunt damnationis, quia ipsis uenialia deputantur. Lex enim spiritus uitæ, hoc est, gratia redemptionis in Christo Iesu, liberat eos à lege peccati & mortis, quam Christus suo aboleuit sanguine, quæ impoßibilis erat legi scriptæ.

Notat ergo Apostolus in illo unico passu triplicem legem. scilicet, spiritus uitæ peccati, & mortis, & legem scriptam. Itaq; oblatio Christi in cruce primo & principaliter culpam abolet originalem, adstipulante Paulo ad Romanos. Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem uitæ, Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obeditionem iusti constituentur multi. Et ad Corinthios. Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur.

Oblatio Christi in cruce delet culpam originalem.

Roma. 5.

1. Corin. 15

Secundo abolet omnem culpam mortalem actualem, in his qui conuertuntur ad cor, qui fide illuminati uere conpunguntur & resipiscunt, ac in spe ueniæ respirant in miserationes domini.

Mortalem.

Venialem

Tertio, Nihilominus culparum uenialium est abolitiua. Sicq; (quantum est ex parte Christi) paßio sua sufficientißima est ad peccata totius mūdi expianda.

ASSERTIO VICESIMASECVNDA de abolitione omnis pœnæ

Oblatio Christi in cruce, quæ in missa repræsentatur, ad omnem pœnam quibuslibet culpis debitam abstergendam est sufficientißima. Hæc siquidem sufficientia, in diuino consistit beneplacito, quod quātum aliquid appreciatur, tātum ualet, & non plus. Habet autem Deus pater tantam complacentiam & gratificationem in paßione filij sui charissimi in humana natura, quòd erga genus humanū perfecte est placatus, in ijs qui membra filij sui sunt secundum electionem, nimirum, quia innocentißimus, ex maxima charitate, immensa tormenta, pro eius gloria, & suæ sanctissimæ uoluntatis impletione, est passus & mortuus.

duplex pœna, æterna.

Considerandum tamē duplicem esse pœnam, uidelicet, æternam & transitoriam. Pœna æterna est proprie pœna quadrans culpæ. Nam (ut est dictum) quælibet culpa, est quædam dei offensa, cui secundum strictam iustitiam dei, debetur ira, & per consequens æternæ mortis sententia. Ex quo sequitur, quòd transitoria pœna, secundum seueram dei iustitiam non quadrat culpæ. Porro secundum iustitiam dei, misericordia tēperatā, in uasis misericordiæ, quadrāt per Cristi paßionem

Transitoria pœna nō quadrat culpæ.

paßionem & meritum, in quo misericordia & ueritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt, & per quem peccatum, mors, & infernus deuicta sunt. Psal. 84.

Pro cuius uberiori elucidatione, nouem sunt instructiones proponendæ.

Prima in= struĉtio. Prima est. Christus per oblationem suam Deo patri factam, cõsummatam in cruce, abstulit à membris suis pœnam, culpæ damnabili quadrantem, quo ad æternitatem: placauit nempe patris iram, quæ exigebat pœnam æternam.

Secunda. Secunda. Christus per oblationem suam satisfecit pro omnibus peccatis membrorum suorum, non modo quo ad culpam, uerum quoq; quo ad omnem pœnã culpis debitam, & æternam & transitoriam, & hoc quo ad sufficientiam, sic quòd sui sanguinis preciosi effusio, precium est, quo omne debitum membrorum suorum Deo patri exolui potest, pro quocunq; ipse uoluerit plenam facere solutionem, alioqui non esset perfectus redemptor, & naturæ humanæ in primordialem statum reparator, in quo ab omni culpa fuit immunis, & ab omni debito liber.

Tertia Tertia. Deus pater intuitu filij remittendo mortalem offensam, semper remittit pœnam æternã, quia habent adinuicem adæquatam quadraturam, nam & in mortali offensa est quædam æternitas, in omni equidem mortali offensa est fruitio creaturæ, contempto

 bono

bono æterno & infinito scilicet deo, à qua fruitione uolūtas creata (sibi dimissa & per consequens ad peccandum liberrima) nunq̄ in æternum resiliret, nisi diuina gratia reuocaretur. Et sic quantum in se est, eligeret manere perpetuo in amore creaturæ & dei contemptu ac odio, sicut de facto est in damnatis, in quibus (etsi fruitio creaturæ sopita est, quia delectationē annexam habet) manet tamen perpetuum dei odiū, teste Propheta. Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper. Quia ergo perpetuo in culpa esse eligit, contēpta iustitia, iustum est, ut perpetuo sit in pœna, ut sic nullum malum remaneat impunitum, & culpæ inordinatio per pœnam reguletur, idq; quod excidit à norma iustitiæ, incidat in regulam pœnæ. Secundū huius instructionis intellectum, deus semper absoluit peccatorem pœnitentem à culpa & pœna, scilicet sibi quadrāte, quæ est æterna. Hocq; pacto sacerdos dei minister pœnitentem à culpa & pœna absoluere debet.

Psal. 73.

Sacerdos pœnitētē à culpa & pœna absoluere debet.

Quarta. Deus pater remittendo mortalem offensam, & pœnam æternam eidem quadrantem, potest salua iustitia sua, omnem quoq; transitoriam remittere pœnam, tantā etenim in filij sui obedientia & oblatione habet complacentiam, quòd sibi pro omnium debitorum plenissima solutione est sufficientissima.

Quarta

Quinta. Deus remittendo mortalem offensam, non

Quinta

nō semper remittit omnem pœnā transitoriam. Hæc probatur, Primo per exemplum Dauidis, cui remisit offensam dicente Nathan propheta ex uerbo domini ad eum. Dominus transtulit peccatum tuum) quem nihilominus pro commissis, grauibus castigauit pœnis correspondentibus ipsis peccatis. 2.Reg,12.

Respondent quidam ad probationem hanc, quód hoc fuit in ueteri testamēto, quod erat timoris & pœnarum. Secus est in nouo, quod est amoris, & in quo misericordia domini exuberat. Euasio

Sed hoc non ualet. Primo, quia Dauid ante lapsum suum fuit uir sanctus atq; perfectus, & sic spectabat ad nouum testamētum. Omnes enim uiri sancti & perfecti, sub lege naturæ & Mosaica, qui libera charitate & spiritussancti ductu regebantur, ad nouum spectāt testamentum. Sicut econtra, ducti timore seruili & pœnarum errore sub nouo testamēto, spectant ad uetus. Hi nempe duo status magis ex spiritussancti regimine, quàm temporis lapsu discriminantur. Præterea Dauid fuit non modo de electorum numero (qui sunt uasa misericordiæ) sed & deo charissimus, de quo Samuel ait. Quæsiuit sibi dominus uirum secundū cor suum, cui stabilitionem quoq; throni in sempiternum promisit, & Christum ex suo semine nasciturum, quem nihilominus acriter pro suis castigauit insolentijs. Cæterum cum propheta peccatū ipsius

Comprehēsio

Omnes uiri sancti ad nouum spectant testamentum.

Electi sunt uasa misericordiæ.

1.Reg.13.

Roma.1.

translatum

translatum, & non simpliciter deletum dicat, non absone per translationem intelligi potest pœnæ æternæ in temporalem commutatio.

Lucæ. 7. *Secundo, probatur ex dicto saluatoris ad Simonē de muliere peccatrice. Remittentur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur minus diligit, quod de remissione culpæ potest intelligi minime, cum culpa, in quantum dei offensiua, non remittatur p partes, sed ex integro, alioqui esset peccator reconciliatus & non reconciliatus deo. Intelligitur ergo de remißione pœnæ, in qua maius & minus esse potest. Et licet in eodem capitulo saluator de duobus debitoribus dicat, quòd dominus eorum dimisit utrisq; totum debitum, non potest tamen ex hoc concludi, ꝙ id semper fiat, sed quòd stat in libertate domini remittere quantum sibi placet.*

Culpa non dimittitur per partes.

Tertio, Remissio culpæ, & remissio pœnæ temporalis, nullam habent neceßariam cōnexionem, pro eo quòd pœna temporalis non est propria pœna, culpæ quadrans, potest ergo esse maius & minus in remissione pœnæ, potest & una pars pœnæ dimitti, nō dimissa alia, non sic est, de dimissione culpæ, quæ per partes fieri non potest.

Sexta *Sexta, Deus remittendo offensam uenialem, reseruare potest pœnam transitoriam sibi quadrantem, quam & ab offendente exigere potest, hic uel in purgatorio*

gatorio luendam. Probatur ex eisdem fundamentis. Nam non habent necessariam connexionem. Culpa etenim est quædam dei offensa. Pœna uero est quoddã debitum. Vnde potest offensa remitti, cum exactione debiti.

Septima, Deus remittendo culpam mortalem & uenialem, potest à peccante tẽporalem (ex parte pœnæ) exigere satisfactionem. Nũcupatur autem in proposito satisfactio, temporaria siue transitoria pœnæ, pro culpis debitæ solutio, siue fiat actiue siue passiue, ut à satispassione non discriminetur. Fit autem actiue, dum peccator pro iustitia dei zelãs, & sibijpsi ob peccata sua iratus, in seipsum uindex & ultor insurgit, ac seipsum pro suis castigat insolentijs. Passiue uero, dum pro peccatis castigatur, uel punitur ab alio qualicunq; pœna, siue à deo immediate, siue à quauis creatura, ut dei instrumento in præsenti uel futuro seculo. Claret hæc instructio ex prioribis, nam deus potest peccanti illud legis imponere. Pro mensura delicti erit & plagarũ modus. Et illud Apocalipsis. Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date ei tormẽtum & luctum. Et per quæ peccat quis per hæc & punitur. Conueniens equidem est, & rationi consentaneum, quòd is qui deliquit, pœnas luat secundum suæ poßibilitatis quadraturam. Præterea pater & mater quantumlibet filium uel filiam diligant

Septima

Satisfactio temporaria actiua.

Passiua.

Deutro. 25

Apoca. 18.

Sapien. 11.

Nihilominus

nihilominus uirga castigant delinquentes aut insolentes, si seipsos non castigauerint. Proinde inconueniens uidetur, quòd caput omnia pro mēbris soluat, & omnium membrorum debitas luat poenas, sine ipsorum quapiam afflictione, dum & ubi membra simul poenas cum capite luere possunt.

Octaua. Peccator pro commissa offensa abolenda tenetur ueram ex corde habere compunctionem, & nihilominus se offerre pro suæ possibilitatis modulo ad satisfactionem in spe remissionis à diuina misericordia, per meritum passionis Christi consequendæ.

Hæc quatuor continet clausulas declarandas. Prima tenetur ueram ex corde habere compunctionem, patet, nulli etenim remittitur offensa, quamdiu affectus habet complacentiam in ea, sit mortalis uel uenialis. Requiritur ergo recessus ab ea ex corde per displicentiam, & hic dicitur uera compunctio, si omnibus circumstantijs fuerit adornata.

Prima clausula.

Secunda, se offerre ad satisfactionē, Per hoc equidem probatur uera compunctio, Qui enim ex corde dolet de culpa commissa, sibijpsi indignatur, & ultroneus in seipso uindicat, aut ad poenam se offert ultroneum.

Secunda

Tertia, in spe remissionis à diuina misericordia cōsequendæ, ut spes in Deum sicut in proprium feratur obiectum, & hoc principaliter, ex lumine fidei.

Quarta

Quarta, per meritum passionis Christi, non enim pœnitẽs talis fundat peccatorum remissionem in proprium satisfactionem. Hoc enim esset fundamentum arenosum, nec æstimat suam satisfactionẽ sine merito Christi peccata sua diluturam, hoc quippe impiũ esset & peruersum, sed præsupponit meritum Christi, tã q̃ solidum fundamentum, quo peccator reconciliatur pœna æterna in temporalem commutatur, pœna tẽporalis debita mitigatur, ut pœnitenti facile portabilis reddatur, et qualiscunq; transitoria satisfactio deo, fit grata, & culpæ deletiua. Super hoc fundamẽto solidissimo pœnitens omnes suas fundat satisfactiones.

Nona, Peccatori uere compuncto & pœnitenti, iuste & salubriter satisfactio iniungitur, pro delictis & commissis. Primo quidem, iuste, nam peccans mortaliter, grauiter damnificat ecclesiam, Cum enim ex communi baptismo & fide, membrum sit ecclesiæ corporis Christi mystici, & per hoc obligatus ad bonum corporis, & commembrorum procurandum, per peccatũ uero mortale, seipsum mutilet & corpori inutilem reddat, merito pœnã exoluere debet, quæ satisfactionis induit nomen secundum intellectum superius assignatum. Præterea læsit seipsum enormiter quia uulnera sibi ex primi parentis lapsu inflicta renouat (quorũ curationi incũbere debuerat) seipsum bono iustitiæ (quod in actu consistit meritorio) priuauit *Peccãs mortaliter grauiter damnificat ecclesiam.*

Etenim

Etenim interea nullum bonum opus fecit, et se ad aliá peccata, etiam grauiora proniorem reddidit. Peccatum equidem, quod per pœnitentiā non deletur, mox suo pondere ad aliud trahit. Sicq; damnificauit totum corpus, & alia commembra, necnon & seipsum. Igitur iuste ab eo exigitur satisfactio, quæ grauior esse debet, si cum hoc & proximum scandalizauit.

Pœnæ sunt salubres & præseruatiuæ. *Secundo, proinde (salubriter) pœnæ siquidem temporis præsentis salubres sunt & medicinales, non modo peccata commissa, & per pœnitentiam (quo ad offensam) deleta compensantes, sed & à futuris committendis præseruātes, sicut in physicis dantur medicinæ, non curantes solum morbos inexistentes, uerū quoq; à futuris præseruantes.*

ARGVMENTATIONES IN *contrarium.*

Argumentum primū Lutheranorum. *Contra hæc, plurima producuntur scripturarum testimonia, uidelicet illud ad* Ephe. *In quo (scilicet filio dei) habemus redemptionem per sanguinem eius remissionem peccatorum, secundum diuitias gratiæ eius. In actis apostolicis,* Huic *omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Sanctus* Ioannes. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus est, qui remittat nobis peccata nostra.* Et alibi. *Aduocatum habemus apud patrem* Iesum Christum

Ephe. 1.
Actu. 10.
1. Ioan. 1
1. Ioan. 2.

iustum, & ipse est propiciatio pro peccatis nostris, & non pro nostris tantum, sed & pro totius mundi. Et iterum. Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato. In Apocalypsi. Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Ad Roma. Quem scilicet Christũ, proposuit deus propiciationem per fidem & per sanguinem suum. Beatus Petrus. Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. Esaias quoq;. Posuit in eo deus iniquitatem omnium nostrum. Et ad hunc sensum plurima sacræ scripturæ dicta consarcinari possunt, in quibus habetur quòd p Christũ adepti sumus peccatorũ nostrorum remißionem, emundationem, lotionem portationem, propiciationem, et redemptionem, nulla ergo ab homine exigitur satisfactio.

1. Ioannis. 1
Apoca. 1.
Roma. 3.
1. Petri. 2.
Esaiæ. 53.

Responsio. In omnibus aduectis authoritatibus mentio fit de peccatis & offensis diuinis, pro quibus homo satisfacere nõ potuit, nec deum patrem placare, nam si homo hæc potuisset, Christus passus non fuisset, una equidem omnium sententia est, quòd dei irati placatio, pro lapsu hominis satisfactio, & ipsius lapsi hominis releuatio, in graduumq; pristinũ restitutio fuerunt omni homini ex primis progenitoribus per naturalem generationem prodeunti impoßibilia, pro eo, quòd tota radix cum omnibus germinibus fuit infecta, peccato obnoxia, & per diuinam iustitiam damnata, teste Paulo. Omnes nascimur natura filij iræ. Vnde ad temporalem

Responsio
Ephe. 2.

poralem pœnam ad paciendum homini possibilem, il latione necessaria & infallibili trahi non possunt sine uiolentia. Ex *quo tamen non potest inferri, quòd passio Christi non sit sufficiens. Sufficientissima equidem est deo patri, si filius eam patri pro tēporalibus pœnis diluendis uelit offerre,* Potest *autem eam non offerre, sed uelle, q̄ mēbra sua patiantur temporaliter, et satis faciant pro suo modulo, cū per meritum suum satisfactionem eis fecerit possibilem.* Hoc *etenim saluti membrorum in nullo derogat, quin eorum salutem promouet, diuinæ quoq; iustitiæ æquitas requirit.*

Passio Christi est deo patri sufficientissima

Cæterum, si auctoritates inductæ referantur non modo ad culpam, uerum quoq; ad pœnam. De *illa pœna intelliguntur, quæ æquam habet ad culpam quadraturam, cuiusmodi est pœna æterna, quæ homini lapso ad soluendum fuit impossibilis.*

Differunt peccatū & pœna peccati.

Præterea *aliud est loqui de peccato, aliud de pœna peccati.* Ea *præsertim, quæ cum peccato necessariam non habet colligantiam, quin ab inuicem seiungi possint, nec ex æquo eidem quadrat.*

Secundū argumentum

Opponitur *secundo, illa assertio de satisfactionibus, præiudicat gloriæ Christi.* Tota *nempe scriptura sacra, testatur Christum esse perfectissimum & sufficientissimum totius humani generis redemptorem, quantum est ex parte sui, eo modo, quo* Apostolus *dicit, quòd uult omnes homines saluos fieri, & ad agni-*

1. Timo. 2.

tionem

tionem ueritatis uenire. Si igitur expetitur ab homine ꝓ suis peccatis satisfactio, infertur, quòd Christi passio non est sufficiens.

Responsio. Satisfactio ab homine diuinæ exhibita iustitiæ dulcore misericordiæ, tēperatæ, præsupponit Christi satisfactionē, & in ea fundatur, sine qua esset homini impoßibilis, ob quod in nullo ei derogat, nā & sine ipsa, nullo modo à patre cœlesti acceptaretur.

Tertio obijcitur, summa Christi pietas, & ingens eius ad prædestinata sua membra charitas, qua seipsum eis donauit. Quomodo ergo non omnia eis cū seipso donat. Si omnia donat, donat & plenam remissionem peccatorum sine omnibus satisfactionibus nostris. Tertium argumentum Roma. 8.

Responsio, Seruator noster benedictus liberalißimus est donator, ueruntamē in sapientia, sicut (teste ꝓpheta) oīa in sapientia fecit & facit, Donat ergo & distribuit thezaurū suum sapienter, eo uidelicet modo, quo membris suis magis proficit & expedit. Prodest autem & expedit suis membris, ut pro culpis trāsitoriè satisfaciant aut puniantur, tum primo ut ꝑ hoc peccata humiliter recognoscant, tum secundo ut in cōpunctione & humilitate cōseruentur, tum tertio ut redemptoris benefitium magis cordi habeant, tum quarto, ut Christi satisfactionem & dolores in propria quoq; natura sentiant, sicut membra dolores ca- Dilutio Psal. 103.

pitis, potissimum cum caput pro membris dolet, tum quinto, ut pro suis castigentur & puniantur insolentijs, exigente hoc iustitia, tum sexto deniq;, ut membra capiti conformentur, erit enim una capitis cum membris satisfactio, tum proinde septimo, ut in bonis exercitijs coalescant & asuescant, tum insuper octauo, ut ad meliora per hoc prouehantur, & à malis amplius clõgentur, tum demum nono, ut in gloria uberius remunerẽtur, sunt equidem pœnitentiæ opera, nedum pro pœnis exoluendis satisfactoria, sed & remunerationum æternarum meritoria, modo ex charitate procedant. Harum rationum nõnullæ etiã in animabus purgandis corpore exutis locum habent.

CONSECTARIVM PRIMVM

Infertur ex his, quòd satisfactio membrorum pro peccatis secundum modum in ecclesia usitatum, & in uetustissimam consuetudinem introductum, in nullo præiudicat gloriæ capitis, quin uere & proprie dicatur redemptor, expiator, emũdator, & remissor peccatorum.

CONSECTARIVM SECVNDVM

Infertur secundo, quòd satisfactio secundum modum & intellectum supra expressum, non solum non est contra scripturam sacrã, uerum quoq; in ipsa scriptura diuina sufficiẽter fundata, ex spiritu & uita scripturæ in lumine fidei ueraciter pullulans, cum non cor-

tex

tex scripturæ, sed spiritus & uita sint scrutanda, dicē te saluatore. Verba quæ ego loquor, spiritus & uita Ioannis.6.
sunt. Hæc uerba sunt tota scriptura canonica.

ERROR VICESIMVSSECVNDVS

Ex supradictis de abolitione omnis pœnæ, claret error asserentiū, quòd remissa culpa remittatur semper & infallibiliter omnis pœna æterna & transitoria, nec ulla unquàm fuit æternæ in temporalem commutatio, aut alicuius temporalis pœnæ exactio. Hic in primo prospectu cōmendare uidetur dei misericordiam, & meriti Christi efficaciam. Verum cum propheta dicat. Misericordiam & iudicium cātabo tibi domi Psal.100.
ne. Iustitia an consentiat est inquirenda, at illa attendens in peccato, dei offensam, deordinationem, & grauem naturæ humanæ lesionem, decernit eam ad normam rectitudinis reducendam per pœnam, quā peccans luat, & pro damnis per peccatum illatis satisfaciat, indulget tamen (comite sua sorore misericordia) q, illam satisfactionem & pœnæ solutionem, per alium facere possit si quem uoluntarium idoneum & sufficientem inuenerit, pro illa saltem parte, qua solutio & satisfactio sibi est impossibilis. Hæc est quæ ex debito quadrat culpæ uidelicet, æterna siue completa. Decernit nihilominus, quòd peccās non sic omnino immunis sit à pœna, quin pro uirili sua, pœnas soluat & satisfaciat, habeatq; pro ingenti gratia, q, fideiussor suus

 æternam

æternam diluit pœnam, ipsumq; in temporalis pœnæ solutione adiuuat & roborat. Alludit Sapientis dictũ, de propitiato peccato, noli esse sine metu, & ne dicas Miseratio domini magna est, multitudinis peccatorũ meorum miserebitur. Misericordia enim & ira ab illo cito proximant.

Eccle.5.

ERROR VICESIMVSTERTIVS

Errant proinde asserẽtes, quòd ad omnis culpæ et pœnæ abolitionem sola fides in promissum saluatoris, & Christi satisfactionem sufficit. Patet ex octaua instructione. Vnde ad peccatoris iustificationẽ & culpæ abolitionem (quæ infallibiliter concurrunt) requiritur. Primo fidei lumen, in quo dei uoluntas agnoscitur per legem diuinam explicata. Secundo, in illa lege peccata sua cognoscit & uidet, sicut in speculo faciei maculæ conspiciuntur, per legem etenim cognitio peccati. Tertio, diuinæ gratiæ respectu de illis ex corde compungitur, quæ cordialis cõpunctio propter deum, sine motu spiritussancti, est homini impossibilis. Quarto, Spem habet & confidentiã ad diuinam misericordiam & meritum Christi mediatoris per fidem in promissa ipsius. Quinto, Ex hac spe & confidentia peccata sua humiliter & synceriter cõfitetur. Sexto, Offert se diuinæ iustitiæ, misericordia tẽperatæ, ad omnia quæ illa decreuerit uel iniunxerit faciẽda & toleranda. Septimo, habet melioris uitæ propositũ.

Ad peccatoris iustificationem & culpæ deletionẽ requiritur lumẽ fidei.
Cognitio peccati.
Roma.3.
Cordialis cõpunctio.
Spes ueniæ humilis peccatorum cõfessio.
Iustitiæ di=

Hæc septem necessaria sunt ad conuersionem ueram, & connexa. Quæ (octauo loco pro resurrectione cõpleta) subsequitur, uita & conuersatio sancta.

uinæ acceptatio.
Bonũ propositum.
Cõuersatio sancta.

ERROR VICESIMVS QVARTVS

Errant quoq; qui affirmant, quòd satisfactio sit cõtra scripturam, & ab hominibus conficta, faciens hypocritas. Autumant equidem, quòd ex diametro meritum Christi & eius satisfactionem oppugnet, quod falsum est cum in eo fundetur.

Ex hoc inferunt, quòd pœnitenti nulla est iniungẽda satisfactio. Probant exemplo Christi, qui nusq̃ legitur peccatoribus conuersis satisfactionem iniunxisse, sed dixisse. Remittuntur tibi peccata tua, uade in pace, & iam noli amplius peccare. *Obiectio prima* *Ioã. 5. et. 8. Luce. 7.*

Responsio, Saluator omnia cordium secreta nouit, unde in pœnitentibus uidit quantitatem compunctionis, & puritatem confessionis emendandiq; propositum, quæ homini abditissima sunt. Præterea ipse de suo merito communicare potuit solutionẽ, pro debito tẽporalis satisfactionis & pœnæ, quantũ uoluit, & sibi placuit, cũ thesaurũ meriti sui & satisfactionis pro omnibus oĩm hominum peccatis plenissime habe ret in sua potestate · hæc in suis ministris locum non habent. Ex quo infertur, q̃ seruator noster non in omnibus operibus suis imitãdi exemplum præbuit, quia nõ *Dilutio* *Saluator noster non in opibus suis prebuit imitandi exemplum.*

 in illis

in illis quæ sunt potestatis ut in plerisq; suis miraculosis claret operibus, sed in his quæ sunt sanctitatis, pietatis, humilitatis &c. unde dicit. Discite à me quia mi-
Math. 11. tis sum & humilis corde: nihilominus (cum in remissione peccatorū concurrat potestas & pietas) præbuit in ea quoq; nobis exemplum compaßionis & pietatis erga peccantes, secundum tamen mensuram potestatis nobis competentis, quam ministri sui acceperunt.

Obiectio secunda. Ez. ch. 18. Secundo obijcitur dictum dei per Ezechilem. Si impius egerit pœnitētiam, omnium iniquitatum eius nō recordabor: si non recordatur non punit, si non punit totum remittit.

Dilutio Responsio. Textus sic habet: anima quæ peccauerit ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij. Iusticia iusti super eum erit, & impietas impij super eum erit. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iusticiam, uita uiuet & non morietur, omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor, in iusticia sua quam opatus est uiuet. Nunquid uoluntatis meæ est mors impij dicit dominus deus, & non ut conuertatur à uijs suis et uiuat. Hæc ibi. Claret ex textu, quòd deus loquitur de morte et uita, & nihil de pœnis temporalibus, uel tēporalibus satisfactionibus. Ad quem sensum referendum

dum est uerbum. Omnium iniquitatum eius nō recordabor: scilicet ut morte puniam, sed uiuet. Colligitur etiam hoc, ex uerbo (iniquitatum) quod sonat in culpam, non in temporariam pœnam. Notat etiam textus ad iniquitatum abolitionem requiri nouam uitam, cum ait. Si impius egerit pœnitētiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam. Iniquitatū

Ad ueram itaq; pœnitentiam, à morte æterna liberantem, exigitur uerus recessus à malo per contritionem. & accessus ad bonum per sanctam & iustam cōuersationem, ut quo ad hoc uerum sit adagium uulgatum. Optima pœnitentia noua uita. Verum referendo ad satisfactionem & transitoriam pœnam, non ualet, Nam ex primordiali baptismo obligatur homo ad nouam uitam, dicēte Apostolo. Quicunq; in Christo baptizati estis, Christum induistis. Et alio in loco. Expoliantes uos ueterem hominem cum actibus suis, induite nouum. Præterea, obligatio ad pœnam transitoriam, sicut non inducit mortem, sic nec uitæ derogat. ad uerā pœnitent. ā exigitur recessus à malo & accessus ad bonū Adagiū nō ualet. Gala. 3. Coloss. 3.

ERROR VICESIMVSQVINTVS

Errant nihilominus qui asserunt, quòd unus pro alio uel alijs satisfacere, & pœnam quampiam temporariam luere nequeat, imo sit magna peruersitas.

Huius contrarium. Primo ex lege charitatis ostenditur, quæ non quærit quæ sua sunt, qua alter alterius 1. Corin. 13 Gala. 6.

onera portare tenetur, sicut in corpore naturali unū
membrum alterius releuat indigentiam, & se pro al-
terius defensione exponit periculo. Opponis, nul-
Obiectio lus sibijpsi est sufficiens, quanto minus proximo.
Responsio Responsio, Hæc est charitatis synceritas & fideli-
tas, ut etiam se neglecto pro alijs solicitudinem gerat,
Coloss.1. ad hoc est insigne dictū Apostoli. Nunc gaudeo in paf
sionibus pro uobis, & impleo ea quæ desunt passionū
Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est eccle
sia. Quæ sunt autem paßiones Christi quæ desunt? Nō
ne Christus pro omnibus abunde satisfecit? de quo
Psal.129. psalmista ait. Copiosa apud eum redemptio: nisi quia
& passiones membra sua manent ab ipsis soluendæ
& implendæ, implet ergo unum membrum alterius
paßiones.

CONSECTARIVM TER-
TIVM EX ASSERTIO
ne uicesimasecunda manans.

Igitur altaris sacrificium passionis & mortis Chri
sti in cruce, repræsentatiuum & renouatiuum, aboli-
tiuum est pœnarum pro peccatis transitorie luenda-
rum, tam pro uiuis quàm pro defunctis, deo patri ob-
latum, non quidem omnium uniuersaliter, & certitu-
dinaliter (cum nec fides hanc ut necessariam aut neces
sario credendā exigat, nec sacra adstipuletur scriptu-
ra) sed secundum mensuram donationis Christi, qui
passionis

passionis & mortis suæ meritum ac satisfactionem dispensat, & membris suis communicat prout uult, quomodo uult, & quantum uult, cum in manu sua & beneplacito sint plenissime, per partesq; communicari & applicari possint.

Christus dispensat meritum ac satisfactionẽ suæ mortis

CONSECTARIVM QVARTVM

Infertur ex hoc, quòd à spiritu & ueritate scripturæ, promissisq; diuinis, non discrepat crebra pro expiandis peccatis, tum oratio, tum sacrificatio, sint pro uiuis uel defunctis, egentibus & capacibus, ut deus pater immensa sua pietate, & passionis ac meriti, dilecti filij sui respectu, ea diluat, eumq;, pro quo imploratur & satisfactio filij præsentatur, in toto uel in parte, libertati à debito donet.

Opponitur huic, quòd obuiat certissimis Christi promissis, ipso dicente. Amen amen dico uobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Ponatur ergo, quòd orans aut offerens pro omnibus peccatis suis, aut alterius, plenissime expiandis, patrem petat in nomine Christi, ille iuxta promissum Christi exaudietur. Ergo una oratione uel oblatione semel facta, fit plenissime liber. Ergo neutrum horum iterandum, alioqui non orat uel offert in uera fide & spe diuini promissi, cum in prima, de promissi impletione hæsitet, contra illud Iacobi. Postulet à deo in fide nihil hæsitans.

Obiectio Ioannis. 16.

Iacobi. 1.

Responsio. Oratio ut sit exaudibilis, necesse est ut fiat in sapientia.

Responsio, Oratio cum sit opus uirtutis, & fiat in lumine fidei, ad hoc ut sit exaudibilis, habere debet comites secũdum dictamen fidei & sacræ scripturæ. Fides autem dictat, primo, quod fiat in sapientia. Porro sapientia Christiana dirigit in diuinam prouidẽtiam. Vnde orans & offerens in sapiẽtia Christiana, non aliter petit exaudiri, nisi eo modo, quo diuina prouidentia decernit æquum & expediens secundum omnes circumstantias, hoc itelligitur in uerbo (quicquid) cũ dicit. Quicq̃ orãtes petitis. hoc est, quicq̃ expediens, fructuosum, deo placitum &c. petitis, includit etenim in se aliquid bonum, malum enim nihil est, unde non includitur in uerbo. quicq̃.

Quicquid

Malum nihil est Ioã. 1

Secundo, quòd progrediatur ex affectu, & quo ad hoc, si petitum est ad salutem necessarium, ut est remissio culpæ mortalis; & collatio gratiæ, orans certissime & infallibiliter ac indilate exauditur, nunquã enim homo hæc petit sine speciali motu spiritussancti, qui postulat in corde gemitibus inenarrabilibus, si nõ est ad salutem simpliciter necessarium, expediens tamen & proficuum nonnunq̃ differtur, nonnunq̃ datur per partes, nunq̃ tamen omnino negatur. Differtur autem ut affectus magis ac magis feruescat. quanto enim feruentior fuerit, tanto deo erit gratior. Et hæc præcipue locũ habẽt, cum homo pro seipso petit.

Roma 8.

Oratio interdum differtur.

Tertio.

Tertio, quòd homo sit (quo ad uim irascibilem) in

orando

orando resignatus deo, in his specialiter quæ simpliciter necessaria ad salutem non sunt, ut deus det quando uult, quomodo uult, quantum uult, secũdum omnes circumstantias, & non frangatur animo per impatientiam, nec de diuina ergase benignitate diffidat, aut pusillanimis fiat, si se exauditum non senserit.

Cæterum, Si quispiam pro altero oret, amplius hæc locum habebunt, pro eo quòd iudicium dei, & ipsius ad recipiendum idoneitas penitus oranti sunt incognita.

Patet ex his ad obiectionem responsio, potest enim fidelis tam diu pro quopiam desiderato sibi uel alteri orare, quoadusq; intelligit se exauditum, aut uolũtatem diuinam cognoscit, sicuti Paulus ter orauit auferri à se stimulũ carnis, nec cessasset, nisi diuinam uoluntatem de non exaudiẽdo cognouisset. Fiebat quoq; oratio ab ecclesia ad deum pro Petro, non semel, sed sine intermissione. Christus deniq; creberrime patrem orauit, non pro alio & alio singillatim, cum omnia in uno radio luminis haberet ad cognoscendum præsentissima, & simul in affectu, sciẽs hoc patri gratum & placitum, ut affectus noster sine intermissione in ipsum feratur. 2. Corin. 12 Act. 12.

ASSERTIO VICESIMATERTIA

de purgatorio.

Quia circa omnis pœnæ abolitionem, materia de

animabus corpore exutis purgandis incidit, pro quibus altaris sacrificium tanq̃ præcipuũ expiationis remedium offertur. Nostra autam tempestate pleriq; asseuerant, nullum (consummato præsentis temporis curriculo) restare purgamentum, non inconsone quippiam de purgatorio (quasi ex accidenti) est producendum in apricum. De quo sit hæc assertio.

Post consummatum cursum præsentis uitæ in carne, qui morte concluditur, necessario ponenda & astruenda est animarum (ad gloriam prædestinatarum & in præsenti nõ consummate defecatarũ) purgatio.

In hac assertione ponuntur duæ clausulæ ad purgationem requisitæ. Prima clausula. *Prima, quòd animæ tales sint ad gloriam prædestinatæ & electæ, nam reproborum animæ à corporibus exutæ, nõ ad purgatorium, sed ad æternum punitorium rapiuntur.* Secunda clausula. *Secunda, quòd in præsenti uita mortali nõ sint perfecte et consummate ab omni impeditiuo ingressus cœli defecatæ, politæ, sanatæ, et expeditæ.* Potest quis à corpore sine omni dilatione ad gloriã rapi *Equidem potest quis in carne ad tantam (spiritussancti operatione per actiones & passiones) prouehi puritatem, libertatẽ, immunitatẽ, & deiformitatem, quòd decedens à corpore ad gloriam rapiatur sine omni dilatione &c.*

PRO HVIVS ASSERTIONIS PLENIORI ELVCIDATIONE DE

cem doctrinæ sunt proponendæ.

PRIMA

DE MISSAE SACRIFICIO PRIMA DOCTRINA

Regnum cœlorum æternum, in quo deus pater cũ filio suo naturali & filijs adoptiuis regnat, est regnũ summæ immunitatis, summæ libertatis, summæ puritatis, & summæ dei formitatis. Quid nam sit regnum cœlorum.

Primo inq̃ summæ immunitatis ab omni culpa æque contracta atq; acta. Secundo, summæ libertatis, omnem seruilitatem & obligationem excludens. Tertio, summæ puritatis ab omni inquinamento carnis & spiritus alienum.

Quarto, summæ deiformitatis ab omni cupiditate selegatum.

Ex quibus infertur. Primo, Quòd nullus illud ingreditur quopiam peccato, uel minimo etiam ueniali obnoxius. Corollariũ primum.

Secundo, Obnoxius pœnæ pro peccatis debitæ, ante eius solutionem, per se aut alium factam, ad illius ingressum non est idoneus. Secundum

Tertio, Infectus fomite (quia inquinatus & impurus, sordens & fœtens est) non potest regnum cœleste introire. Est etenim fomes, infectio naturæ destitutæ, siue (ut Paulus nuncupat) lex peccati & mẽbrorũ, impuritas quoq; & fœditas, quæ in pluribus scripturæ diuinæ locis diuersis notatur uocabulis, quia & diuersos & multiplices malos opatur effectus, hic à saluatore nuncupatur Tertium Fomes pcti quid sit.

uulnus

Lucæ.10. uulnus & plaga, loquens enim de descendente ab Hie
rusalem in Iericho dicit: qui despoliauerunt eum, &
Prouer. 25 plagis impositis, abierunt. A Salomone rubigo, ait e-
nim. Aufer rubiginem de argento, & egredietur uas
Ezech. 24 purissimum. Et Ezechiel. Væ ciuitati sanguinũ ollæ,
Esaiæ. 1. cuius rubigo in ea est, & rubigo eius non exiuit de ea.
Ab Esaia scoria. Conuertam (inquit) manum meam ad
te, & excoquam ad purum scoriam tuam.

Quarto, obnoxius cupiditati cuilibet, quantumli-
bet minime, potiri summæ deformitatis regno non po
test, nam omnis cupiditas seruilitatem quandam cre-
aturæ habet innexam, cui tenatius æquo inhæret, quæ
in ipsam transformat creaturam, & dei dissimilitudi-
nem adducit. Accipitur autem hic cupiditas (eo modo
quo Paulus) pro oĩ amore inordinato, quæ omnium
malorum radix est, ex diametro charitatem omnium
bonorum radicem oppugnans. Hæc omnia Ioannes in
Apocalypsi uno uerbo complexus est, dicens. Non in
trabit in eam (scilicet ciuitatem cœlestem) aliquid co-
inquinatum, nam (ut ibidem ostenditur) omnia sunt ibi
purissima, mundissima, clarissima, preciosissima, spe
ciosissima, liberrima, dei formissima & summæ perfe
ctionis.

Omnis cupiditas annexam habet seruilitatem creaturæ.

1. Timot. 6.

Cupiditas & charitas pugnant.

Apoc. 21.

SECVNDA DOCTRINA

Pro his expurgandis, constitutum est tempus uel
duratio uiæ, ut à statu & æternitate distinguitur pa-
triæ

ris colligitur, quòd solum sunt duo loca post præsentē uitam, uidelicet, infernus & sinus Abrahæ, qui modo est cœlum empyrreum, ergo nullum purgatorium.

Infernus et sinus Abrahæ qui modo est cœlū empyrreū.

Responsio. Ex Euangelio habetur, quòd sunt hæc duo loca, uerū quòd solum hæc duo sint, non habetur. Quòd autem de his solis saluator mentionem fecit, ratio est, quia hæc ad suum propositum quadrabāt, prædicauit enim de eleemosinis faciendis & operibus misericordiæ exhibendis, quod audientes Pharisæi qui erant auari deridebant eum. Ob quod in præfata historia ostendit eis, quali pœna diuites immisericordes plectuntur, qualiq; remuneratione pauperes & afflicti in præsenti, dotantur in futuro, per hoc non negauit locum purgationis medium.

Dilutio

ERROR VICESIMVSSEXTVS

Errant igitur circa materiā hanc, negantes post præsentis uitæ curriculum esse purgatorium, cum indubitatum sit plurimos imperfectißimos decedere, quorum affectus in hora mortis circa temporalia & transitoria fuit plurimum occupatus. Decedūt nihilo minus nonnulli qui in magnis uixerunt peccatis, & diuinæ faciei respectu, in hora mortis redeunt ad cor, & cmopunguntur, cum misericordiam dei nulla tēporum lege poßimus concludere, sicq; decedunt in gratia, in quorum cordibus multum amoris inordinati citra deum, ad tēporalia, ad seipsum, & ad quasuis cre

aturas residere adhuc potest, qui ut rubigo expurgandus est, secum enim deferunt ligna, fœnum, stipulam, hic non igne absumpta.

Obiectio Obijcies forte hic, latronem dextri lateris crucifixi saluatoris, qui tarde compunctus, celerem inuenit remissionem, cui dictum est. Hodie mecum eris in paradyso. Lucæ. 23.

Dilutio Respondeo. Da mihi latronem simili modo in morte pœnitentem, & ego pronunciabo de ipso quoq;, quòd celerem consequetur & culparum & pœnarũ remissionem. Perpende in illo latrone magnitudinem fidei suæ, internæ compunctionis, constantis confessionis, ingentis zeli pro innocentia Christi. Vidit corporeis oculis Christum iuxta se in cruce pendentem, condemnatum & morti addictum ut latronem, & credidit ipsum regem, habentem in futuro seculo æternum regnum, posseq; ipsum saluare, & in suum regnum suscipere. Sperauit in eius misericordiam quam implorauit, feruentem habuit de suis peccatis compunctionem, confitebatur ipsum ore, ea hora qua ab hominibus blasphemabatur & deridebatur, qua ab omnibus discipulis fuit derelictus, & qua nemo eum publice cõfitebatur, & pro eius innocentia zelans socium blasphemantem increpauit. Vides quàm stupenda pœnitentia, uere mutatio hæc dexteræ excelsi. Vnde non indignum foret de hac celebrare festum, quemadmodũ

Perpẽde latronem.

Psalmus

de con

de conuersione Pauli. Verendum tamen talem conuersionem esse rarissimam. De uno latrone non de pluribus, hanc tantam legimus in scripturis sanctis. Fatemur tamen Deo adhuc non impoßibilem, uerũ de tam celeri expurgatione neminem certificamus. Voluit Christus in illa mirabili & miraculosa latronis illius conuersione omnibus peccatoribus spem dare, gratiã consequi posse, etiam in hora mortis, nulli autem peccandi indulgere fiduciam. Figurabat nihilominus hic latro totum humanum genus, quo ad electos, dicente Apostolo: Omnes peccauerunt & egent gloria dei. Et Propheta in psalmo. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, & hoc in primo parente, in cuius lumbis fuerunt omnes, qui per carnalem generationẽ ab eo descenderunt. Per hoc tamen diuinæ omnipotentiæ non fuit præclusa manus, quin potuerit & modo posset aliquam animam à peccato primæ transgreßionis scilicet ab ira sua, præseruare creando ipsam in primo instanti sui esse in gratia, sicut animam Christi creauit in gratia. Talis equidem anima pro nullo instanti sui esse, esset in ira dei, nec damnationis rea. Per consequens nec haberet peccatũ originale, quo ad id quod est in ea formale & principale, & hoc nihilo minus p meritũ Christi. Hoc factũ credimus de sctißima aĩa uirginis Mariæ matris dei, habuit tamẽ et ipsa

Latro figurabat totũ genus humanum.

Roma. 3.

Psal. 13.

Dei pera uirgo sola ab originali culpa fuit præseruata.

caussam contrahendi ex propagine & radice. Sed deus suis proprijs non constringitur legibus, uerum ex incedenti hic passus occurrit.

ERROR VICESIMVSSEPTIMVS

Errant proinde asserentes, quòd nullum diuinum praeceptum habeamus de orando pro defunctis. Quaero ab his an credant esse purgatorium, an non? Si non? incidunt in errorem antecedentem. Si sic? an orationes uiuorum prodesse possint defunctis purgandis, an nõ? Si non? ergo non sunt in corpore Christi mystico, in quo omnia membra participant mutuo, & cum capite omnia bona, et generalis influxus, & communio omnũ est inter se & ad caput. Et per consequens non sunt in purgatorio sed in inferno, cum non sint in gratia & sanctorum communione. Si sic? Ergo praeceptum charitatis proximi nos obligat ad orandum pro eis, cum sint confratres nostri, quam confraternitatem mors non dissoluit, & ipsi egeant suffragio, & nos possimus suffragari. Vides ex hoc chare lector, hanc assertionem non modo erroneam, sed & impiam, quae membra Christi disiungit ab inuicem, & egẽtes animas suffragijs priuat, tum oportunis tum necessarijs. Ex cõmuni ergo Christianismo, & dei praecepto, obligamur orare pro defunctis.

Nota

Huic communi obligationi accedunt particulares.

Si aut

Si aut ſanguine nobis iuncti fuerunt, aut in bonis eorum temporalibus ſucceſſimus, aut beneficia uiuentes in nos contulerunt, ut merito argui poßimus, ſi eos præterierimus, tanq̃ impij & ingrati, æquam nihilominus à deo pro hoc demerito menſuram præſtolaturi, ut & nobis è medio ſublatis, nulla pietatis impendantur ſuffragia.

ERROR VICESIMVSOCTAVVS

Errant præterea, qui aſſerunt, quòd ſi pro eis eſt orandum, non niſi ſemel, bis, uel ter orandum eſt. Alioqui temptatio eſt dei, & de diuino promiſſo diffidentia. Promiſit enim Chriſtus, quòd quicq̃ orantes petimus, accipiemus, & fiet nobis. Marci.11.

Reſponſio ad rationem. Quod ſi uerum eſſet, non liceret pro quacunq; re, uel cauſſa, bis orare. Nam ſi ſecunda uice, pro eadem oras cauſſa, conuinceris in prima oratione, non plenam in diuinum promiſſum habuiſſe fiduciam. Ergo Paulus ter pro ſtimuli carnis ablatione orans, in ſecunda & tertia habuit diffidentiam, imò nec in prima habuit in deo confidentiam, alias non ſecũdo oraſſet, fuit ergo in oratione ſua diffidẽs. Chriſtus etiam ſæpiſſime orauit, non pro alijs & alijs cauſſis ſucceſſiue, cum omnia eſſent ſibi præſentißima, qui nobis quoq; aſſiduitatem orãdi indixit, dum ait. Oportet ſemper orare & non deficere. Et Paulus. Sine intermiſſione orate. 2.Corin.12 Lucæ.18. 1.Theſſ.5.

Differentia est inter orare pro se ipso.

Cæterum in fiducia exauditionis magna differentia est inter eum, qui pro seipso orat, et eum qui orat pro alio. In primo enim certa est de exauditione promissio quæ ad orantem refertur, Nam dicit: fiet uobis. Et alibi, ut gaudium uestrum plenum sit.

Orare pro alio.

Non tanta est de impetratione certitudo orantibus nobis pro alijs uiuis uel defunctis, tum quia ignoramus, an sint de electis, pro quibus exaudiuntur cõfratres boni & iusti, tum quia dubium est an sint fructuũ orationis capaces. Nihilominus fraterna nos urget charitas, ad pietatis & charitatis impendenda opera proximis, sint uiui uel defuncti, nam eadem de omnibus lex est.

ERROR VICESIMVSNONVS

Error reprobãtiũ anniuersaria et fundationes ex tribus falsis emanat fundamentis.

Ex eodem fundamento impie errant, qui fundationes & anniuersaria reprobant tanq̃ ex diffidẽtia procedentes, utpote quæ cedant in dei derisionem & blasphemiam. Nõ mirum, si ex falso principio falsa quoq; infertur conclusio. Hic namq; error ex tribus erroneis manat fundamentis.

Primum, quòd non sit pro eadem caussa pluries orandum.

Primum

Secundum, quòd Christus in sacramento altaris nõ sit hostia salutaris, nec pro uiuis nec pro defunctis.

Secundum

Tertium

Tertium, quòd animarum debita non sunt per partes soluenda. Culpæ quidem mortales non diluuntur

per

per partes. Verum peccata uenialia per sectiones dele ri possunt, cum non habeant necessariam connexionẽ, quin unum ueniale aboleri sine alio possit, una quoq; pœnæ pars, pro culpis debita, solui potest, obligatione ad alterius solutionem remanente. Præterea, annuatim pro defunctorum animabus orationes & oblationes deo offerre, opus est fidei, pietatis et fraternæ charitatis, ergo catholicum & Christianum.

CONCLVSIO SECVNdæ sectionis.

Comportando fructus missæ sub arbore crucis in sportam memoriæ, inuenimus quòd in missa Christi passio renouatur & repræsentatur, ac si actu in cruce pateretur, eius maxima recolitur charitas, æterna fruitio prægustatur, Fides roboratur, Spes ad æterna subleuatur, Charitas nostra ad redamandum tantum amatorem inflammatur, Deus pater pro peccatis placatur, tota ecclesia Christo sponso suo copulatur, iusti in gratiá stabiliuntur, peccatores gratiam & peccatorũ dilutionem inueniunt, animæ in purgatorio, aut releuantur, aut omnino liberantur, et omnia bona (malis depulsis) impetrãtur. En. xij. fructus missæ, sicut optimi sic certissimi, ex quorũ desyderio fidelis quisq; tractus, tota deuotione missarũ celebrationi

Duodecim fructus missæ.

Quilibet fidelis cottidie celebrationi missarum interesse debet.

cottidie debet interesse, & à Christo domino summo sacerdote, principaliter celebrante, intimo exposcere affectu, ut tanti sacrificij uirtutem expertus sentiat, qua incorporetur, & unum cum ipso efficiatur.

Ex quibus omnibus infertur, crebram & cottidianam missarum celebrationem esse toti ecclesiæ, ac uiuis & defunctis plurimum proficuam, ob idq́; infatigabili deuotione frequentandam.

HAEC DE OBLATIONE QVAE FIT IN MISSA, ET FRVCTIbus ex ea congestis.

TERTIA SECTIO DE COMMVNIONE, ET VSV HVIVS SANCTISSIMI SACRAMENTI.

ASSERTIO VICESIMAQVARTA DE TEMPORE SVMENDI.

SAcramentum hoc sanctissimum eucharistiæ, est à fideli quolibet adulto, usum rationis habente, nullo legittimo impedimento detento, quādoq́; sumendum, licet super hoc non inueniatur expressum in lege diuina mandatum sub pœna mortis æternæ obligatorium.

Probatur

Probatur hæc primo ex causa donationis. Cū enim seruator noster ex maxima hoc munus dederit charitate, æquum est, ut in charitate reciproca illud in usum recipiamus. Prima probatio ex caussa donationis.

Secundo, ex gratitudine, quam ei debemus rependere, quam tunc in facto ostendimus, cum (legittima caussa non præpediti, saltem pro tempore oportuno) donum tam nobile summa dei liberalitate nobis donatum, deuoto affectu suscipimus. Secunda ex gratitudine

Tertio, ex intentione donantis. Ad hoc equidem Christus se nobis membris suis in hoc sacramento dedit, ut ipsum secundum formam donationis recipiamus. Cibus etenim ad hoc datur, non solū ut uideatur, sed etiam ut comedatur. Tunc ergo intentionem & uoluntatem eius circa hoc explemus, cum ipsum in sacramento manducamus. Tertia ex intentione donantis.

Quarto, ex illius sacramenti fructibus. Nam etsi fructus sacramenti huius principaliter ex fide nascantur, qua ipsius corpus manducamus & sanguinem bibimus spiritualiter, non ab re tamen credendum est, manducantem spiritualiter & corporaliter simul aliquem consequi fructum, quem ex sola spirituali manducatione non consequeretur, cæteris omnibus paribus. Si enim Christus sola spirituali manducatione uoluisset esse contentus, corporalem non instituisset. Quarta ratione fructuū huius sacramēti.

CONSECTARIVM

Ecclesia ergo Christi sponsa, omnium fidelium mater, à spiritu sponsi de suo beneplacito edocta, instituit filijs suis materno affectu, ut saltem semel in anno sanctissimum sacramentum sacramentaliter suscipiant, eo potissimum tempore, quo Christus instituit, & redemptionem nostram consumauit, congrua subordinans media, & praeambula praeparatoria, uidelicet ieiunium & confessionem, in qua institutione non illaqueauit animas, quin habentes iustam abstinendi causam, communionem suspendere possint, potissimum de consilio sui curati, aut confessoris.

Obiectio prima. Opponis. Sacramentum per hoc captiuatur, quod debet esse liberum.

Responsio. Responsio. Ex hoc quòd sacramentum in eũ usum, qui ab institutore principaliter est intentus, ordinatur non potest dici captiuari, nec libertas Christiano in diuinis institutis tanta esse debet, ut ex ignauia & tepiditate liceat ab eis perpetuo abstinere. Neq; enim haec Euangelica libertas est, sed animalis & carnalis, & per consequens reprobanda. Sufficere debet fideli libertas circa sacramentum hoc, quòd tempore generalis communionis fidelium, ex iusta caussa absq; noxa abstinere potest.

Secunda obiectio. Opponis secundo Per illud institutum plerisq; fastidiosis & uiciosis datur occasio ficte sumendi sacramentum in graue animae suae detrimentum.

Responsio

Responsio. Ecclesia hoc suo instituto sancto & iusto per se incitamentum fidelibus præstat boni propositi & emendationis uitæ, ut sint soliciti reuerenter et deuote sumere sacramentum Eucharistiæ. Si autē malus quis & obstinatus in peccatis, sumit in iudicium, hoc erit instituto & intentioni ecclesiæ per accidens, per se autem ex sua propria malitia. Responsio.

Opponis tertio. Plæriq; tempore pascatis nec affectum nec deuotionem sumptionis Eucharistiæ habent, & nihilominus hoc instituto communicandi inducuntur ad sumendum in suæ conscientiæ lesionem. Tertia

Responsio. Deus non respicit deuotionem quam cōmunicās actu habet, sed quam syncero corde exoptat habere, quia scrutatur renes & corda, & intuetur cor. Vnde optans ex corde habere deuotionem & affectum ad illud sacramentum, & deum supplex pro illa orans, iudicatur illam habere apud Deum. Responsio.

ERROR TRICESIMVS

Ex hoc claret error asserentium ecclesiæ coastitutionem de cōmunicando in pascate esse impiam, & plurimarum transgressionum ac indignarum sumptionum caussam. Ex quo ulterius inferunt, non esse eidem obtemperandum, Quin in illius contemptum esse obmittendam, etiam si quis alias ad communicandum haberet deuotionem, Tanto odio

nonnulli

nonnulli ecclesiasticas persequũtur & detestantur cõstitutiones, quãtumlibet bonas & salubres per se. Cõspiciũt etenim eas nonnunq̃ quibusdam uergere in malum, cum hoc non sit ex parte ipsarum constitutionum discrete intellectarum & administratarum, sed ex uicio utentium.

ASSERTIO VICESIMAQVINTA de modo sumendi.

Seruator noster in cœna nouissima sacramentum illud sanctissimum sui corporis & sanguinis sub bina specie panis & uini instituit. Sub utraq; Apostolos suos, tanq̃ futuros ecclesiæ suæ pastores, communicans. Modum autem sumendi sub una uel duplici, à communitate fidelium, spiritussancti magisterio reliquit, quẽ tanq̃ directorem & gubernatorem suæ sponsæ ecclesiæ mittendum certißima asseueratione promisit. Hæc tres conplectitur clausulas.

Prima. Seruator noster instituit sacramentum hoc

Math. 26. sub duplici specie panis & uini. Testantur hanc Ma=
Marci. 14. theus, Marcus, Lucas, & Paulus. Cui omnes (ueritatẽ
Lucæ. 22. sacramenti huius confitentes) assentiuntur.
1. Corin. 11. Secũda. Sub utraq; Apostolos communicauit, huic quoq; nullus reluctatur. Cum enim panem consecratum eis porrexerit, nulli dubium, quin ab eo susceperint. De sanguine narrat Marcus expresse, quòd biberunt ex eo omnes.

Tertia. Modum sumendi in posterum magisterio spiritus sancti reliquit. Hæc ostendenda est.

Quæ probatur primo per hoc, quòd Christus cõmunionem sub utraq; specie nõ præcepit fidelibus omnibus in ecclesia sumendam. Cuius argumentum est, quòd nondum instituerat sacramentum pro futuro tẽpore frequentandum. Hoc etenim fecit per uerbũ postea ab ipso prolatum. Hoc facite in meam commemorationem. Prima probatio.

Præterea Euangelistæ circa hoc, rem à Christo in cœna gestam narrant, in qua circa hoc sacramentum tria fecit. Secunda

Primo equidem panem & uinum consecrauit, & in corpus suum & sanguinem uertit. Tria fecit Christus in cœna.

Secundo utrunq; consecratum discipulis suis dedit Et per nullum horum habetur sacramenti institutio, sed erant res in præsenti inter disicpulos gestæ, nã nullum uerbum à Christo prolatum (ante illud uerbum. hoc facite in meam cõmemorationem) ex uirtute sua sonat in futurum, nec pro sacramenti continuatione, nec pro modo continuationis. Igitur illa apostolorum communio sub duplici specie, nihil concludit pro usu futuro in ecclesia continuando, unde nisi Christus hoc uerbum (hoc facite in meam commemorationem) adiecisset, soli apostoli hanc communionem habuissent, & pro illa cœna tantum.

Præterea

Tertia probatio.

Praeterea, Apostoli (quos Christus sub duplici communicauit specie) fuerunt ab ipso ad regimen & ministerium ecclesiae uocati, unde si ex eorum communicatione argumentum sumitur pro modo in ecclesia sacramento hoc utendi. Sequitur, quòd soli eorum in ministerio ecclesiae, successores ius illud habebũt, scilicet communicandi sub utraq; specie, cuiusmodi sunt episcopi & sacerdotes,

Quarta
Act. 2.

Caeterum, in primitiua Hierosolomitana ecclesia non legitur facta sub utraq; specie communicatio, nam dicitur in Actis Apostolicis, quòd erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus, ubi de sumptione sanguinis sub specie uini, nulla fit mentio.

Quinta

Deniq;, in uerbo quo Christus sacramentum instituit in ecclesia continuandum, uidelicet · hoc facite in meam commemorationem · nihil dicitur de modo faciendi uel sumendi, sed nudum factum proponitur in ecclesia continuandum. Pronomen etenim demonstratiuum (hoc) respicit sacramentum illud eucharistiae in singulari, non partes eius, uel partiales consecrationes & porrectiones in plurali. Quasi diceret, hoc sacramentum, uos & successores uestri, ecclesiae ministri consecrate, eodemquè & uos & alios communicate in mei memoriam, siue sub una, siue sub duplici id fiat specie.

Hoc

Contra hæc ualide opponitur uerbum Christi dicentis. Bibite ex hoc omnes. Et Marcus ait. Et biberunt ex illo omnes. Cum ergo Christus omnibus fidelibus dederit sanguinem sumendum, sub modo loquendi imperatiuo. Sequitur, quòd omnes fideles tenentur sub specie uini sanguinem sumere. Vnde nec Papa, nec Concilium, nec tota ecclesia poterit in hoc dispensare, quia uerbū Christi non possunt immutare. Habent ergo omnes fideles ius æque in sanguinis atq; in corporis sumptione, quo tyrannicæ hucusq; sunt priuati. Possunt itaq; ex libertate Christiana & Christi donatione illud ius iterato repetere, reclamantibus quoq; ecclesiæ prælatis & rectoribus sibi uendicare. Obiectio Marci. 14.

Responsio. Argumentatio illa super falso construitur fundamento & arenoso, uidelicet, quòd per uerbum (omnes) intelliguntur omnes fideles. Si enim hoc uerum esset, sequeretur quòd sacramentum hoc sub duplici specie pueris & uagientibus in cunis dandum esset, cum per baptismum uere fideles facti sunt, utpote mēbra Christi, quæ ius habēt in omnibus donis & bonis ipsius, quod est contra Paulū dicentē: probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Pueri equidē seipsos probare nō possunt, Ex quo etiā elicitur, quòd nulli non habenti rationis usum, est hoc sacramentum dandum. Porro si uolueris uerbum (omnes) contrahere ad eos solos, qui rationis usu potiuntur Verbū omnes, quos cō plectitur. 1. Corin. 11.

potuntur. Contraham ego eadem libertate ad solos sacerdotes, cum uerbũ hoc sine utraq; ponatur expresse

Dilutio secunda. Hoc idem probatur per clausulam, quam saluator adiecit ad calicem (uidelicet, & pro multis) dum ait, Hic est calix sanguinis mei, qui pro uobis & pro multis effundetur. Ex quo tale sumitur argumentum: Si in uerbis Christi ad Apostolos in cœna circa hoc sacramentum dictis, hæc uerba·Bibite uos omnes·ad omnes fideles referuntur, ad quos referuntur uerba præmissa? (Et pro multis) qui sunt illi multi, præter & extra totum corpus Christi mysticũ pro tempore existens? non utiq; erũt fideles quos uniuersos in uerbo (omnes) asseris inclusos.

Marci. 14. Præterea, cum Marcus subdit, Et biberunt ex illo omnes·sequitur ex hoc uerbo (posita tua opinione) q; omnes fideles actu reali communicauerunt in præfata

Nota cœna, cũ tamen non essent præsentes. Infertur ex his, quòd uerba præfata quæ Christus circa actualem discipulorum communicationem protulit, ad solos referuntur discipulos, qui actu præsentes aßidebant, & nõ ad omnes fideles, qui aut absentes, aut post futuri erant, quod etiam ex serie processus in textu satis liquet. Vnde tota illa argumentatio est fallax, & falsa.

Secundum argumentũ Secundum argumentum in contrarium·sumitur ex uerbis consecrationis sanguinis (qui pro uobis & pro multis effundetur in remißionem peccatorum) Si

ergo

ergo sanguis institutus est sumendus in remißionem peccatorum, nullus fidelis ab eius sumptione arceri debet.

Responsio. Saluator non dixit, qui sumetur in remißionem peccatorum, sed qui effundetur, scilicet in paßione & cruce, in remissionem peccatorum, unde ad propositum nihil concludunt.

Dilutio

Tertio arguitur in contrarium ex usu & practica ecclesiæ Corinthiorum, quam in fide instruxit Paulus quæ communicauit sub utraq; specie.

Tertium argumentum.

Responsio. Cum ueritatis magister Christus circa modum sumendi à fidelibus sub una uel duplici specie nihil determinauerit, ut ex dictis claret, sed directioni & magisterio spiritussancti reliquit, sicut & pleraq; alia, qui ecclesiam (cuius spiritus est) nõ regit sub uno solo modo inuariabili, quo ad ea quæ ad salutem necessaria non sunt, sed secundum qualitates temporum, sua quoq; instituta mutat, immutabilis ipse existẽs. Hinc est, quòd ecclesia eius ductu, sine incõstantiæ nota, sua instituta (diuinitus edocta) pro uarietate mutat temporum & personarum, nec ad hoc aliud, q̃ rationabilis caussa requiritur. Vnde sicut non omnia, etiam utilia, omnibus conueniunt personis, sic nec omnibus temporibus. Eiusmodi generaliter sunt ea, quæ nec præcepta à Deo sunt, nec prohibita, ad salutem tamen accomoda. Talis est & cõmunio sub utraq;

 specie

ſpecie, quæ nec præcepta eſt fidelibus omnibus, nec prohibita, nec etiam ad ſalutem magis expediens, quàm ſub una ſpecie tantum. Quid igitur miri, ſi pro temporum uarietate ex emergentibus cauſſis uarietur & ipſa. Siquidem communicans ſub una ſpecie tantum, uidelicet panis, totum id recipit cum omnibus fructibus, quod percipit ſub utraq; ſumens ſpecie. Igitur ob hoc excitare in eccleſia dei ſchiſma, & puſillorum ſcandala, ac ſeditiones, eſt contra uoluntatem ſpiritus ſancti, deo odioſum, eccleſiæ uehementer damnoſum, & contra huius ſacramenti ſignaturam. Signat equidem fidelium, tanquam membrorum in uno Chriſti corpore, unitatem, ut clariſſime pateat ab eo id procurari & procedere, qui omnium malorum eſt ſeminator, qui primum inter angelos, ſecundo inter homines, fecit ſciſſuras.

Nota

ERROR TRICESIMVSPRIMVS

Errant igitur aſſerentes communionem ſub utraq; ſpecie eſſe fidelibus cunctis neceſſariam, utpote ex inſtituto Chriſti obligatoriam. Hanc etenim nec principalis cauſſa inſtitutionis, nec fructus ſacramenti, nec ſignatum, nec ſumpti plenitudo requirunt.

Primum non. Nam inſtitutionis cauſſam ſaluator expreſſit, ſcilicet in ſui memoriam, quæ ſub una ſpecie æque celebratur atq; ſub duabus in populari ſumptione.

Nec secundum. Omnes equidem fructus quos communicantes sub utraq; specie percipiunt, consequi possunt & sub una specie tantum sumentes.

Nec tertium. Vtriusq; etenim sumptionis signatū est unio ad Christum tanq̄ caput, et ad singula eius mēbra in corpore suo mystico.

Nec quartum. Neq; enim sumitur sanguis sub specie uini separatus à corpore. Igitur sumens corpus Christi sub specie panis, sumit per concomitantiam et sanguinem. Sola expressior est sacramēti signatura in sumptione sub utraq; specie. Ob hanc autem, supradicta inducere mala, clare militat contra charitatem, & per consequens contra spiritumsanctum, & contra illius sacramenti signatura. Vnnde minus malum esset, ex toto à sacramēti huius sumptione abstinere, quàm tot & tanta inducere mala & scandala.

ASSERTIO VICESIMASEXTA de sacramenti huius dispensatore.

Idoneus huius sacramenti dispensator est, qui ad ipsum & consecrandum, & offerendum, non humana præsumptione, sed diuina uocatione est institutus, & hic est ecclesiæ minister, ut supra assertione decima octaua est dictum & declaratum, persuadetur hoc.

Primo ex eo, quòd sacramentum est ecclesiæ, ergo per ministros ecclesiæ est dispensandum. Tales etenim communi Prima persuasio.

communi iudicio præsumuntur idonei, & fideles ad mysteria dei eroganda.

Secunda — Secundo, circa sacramentum hoc (cum sit altissimum) exigitur in dispensando prouidentia & discretio, ne erogetur scienter indignis, contra illud saluatoris.

Math. 7. — Nolite sanctum dare canibus, neq; mittatis margaritas ante porcos. Ergo ad eum spectat, cuius est

Leuit. 14. Deut. 17. — inter lepram & non lepram discernere, & hic est minister ecclesiæ.

Tertia — Tertio, iuste illi committitur uerbi in carne dispensatio, cui ex diuina uocatione uerbi dei in spiritu commissa est prædicatio, cuiusmodi sunt ecclesiæ ministri.

Quarta — Quarto, in ecclesia dei nihil esse debet inordinatum,

1. Corin. 14. — dicente Apostolo. Omnia honeste & secundum ordinem fiant in uobis. Inordinatio aũt esset, si quisq; fidelis quæcũq; ecclesiæ ministeria præsumeret. Licet enim fideles omnes ex baptismo (quo membra Christi

Idoneitas lõginqua et propinqua — facti sunt) idoneitatem ad omnia ecclesiæ ministeria sint consecuti, hæc tamen longinqua est, ultra quam (ut propinqua fiat) requiritur diuina uocatio & legittima institutio, unde grãdis temeritas & præsumptio est, si quispiã nec uocatus nec institutus, ad ecclesiæ

2. Para. 26 — ministeria accedat. Exemplo est Ozias rex, qui dum temere sacerdotum præsumeret officium, lepra percussus est.

Quinta psuasio. — Quinto. Cum non sit sacramentũ necessitatis æternæ salutis

næ salutis, et sola fides, ac sumendi desyderium deuotũ sufficiat, cum oportune idoneus minister haberi nõ potest, non debet ministerium hoc à laico præsumi.

Sexto. æquum & rationi consentaneum est, ut is sacramentum hoc eroget, qui ipsum conficit & consecrat. hic est minister ecclesiæ. Ex quibus omnibus colligitur dictæ assertionis ueritas, & iuxta contrarium attemptantium temeritas, ecclesiam scandalizans. Sexta

ASSERTIO VICESIMASEPtima de modo sumendi.

Quamuis benedictus seruator noster, hora cœnæ post alios cibos sumptos, hoc sacramentum instituit, et discipulis sumendum dedit, non est tamen nisi ieiuno sumendum stomacho, seclusa arduæ necessitatis caussa

Prima huius assertionis pars, testibus Euangelistis est clarissima, uidelicet quòd Christus hora cœnæ post alios cibos sumptos, dedit hoc sacramẽtum, hæc enim hora sibi erat congruentissima. hora cœnæ erat Christo conuenientissima

Primo ex parte figuræ implendæ, quia enim Christus per agnum pascalem fuit figuratus, qui decreto legis ad uesperam Pascæ erat comedendus, expetebat huius figuræ impletio, ut seipsum in cibum eadem hora discipulis, tanq̃ ecclesiæ primoribus, daret. Prima caussa. Exodi. 12.

Secundo, Christus ex maxima charitate uoluit pro nobis imolari in cruce. Voluitq; illud edulium nobis relinquere in suæ passionis memoriale. Cõgruebat ergo Secunda

ad hoc ultima cum discipulis cœna, ut sic munus nouissime traditum, artius eorum infigeretur cordibus, & huius memoria tenacius inhæreret.

Tertia. Cum illud instituerit in passionis suæ memoriale, debito ordine debuit suam passionem proxime præcedere. Incœpit autem sua passio sequenti nocte, in sua captione, ergo in cœna præcedenti debuit hoc instituere. Hæ caussæ in sequentibus discipulorum & fidelium huius sacramenti sumptionibus locũ non habent. Unde nec exemplum quo ad modum & horã Christus nobis imitandum præbuit. Placuit autem spiritui sancto ut in huius sacramẽti reuerentiam ieiunus in sumendo sit stomachus, à principio eiusdem diei ieiunium calculando, hoc est, à media nocte, à qua ecclesia diem inchoat, ob ueram lucem ipsa hora in sua natiuitate exorientem, ut sic prima eiusdem diei esca, sit corpus dominicum, unde ecclesia ab ipso sancto spiritu edocta, hoc seruandum decreuit, nisi ardua superueniat necessitas, cuiusmodi est mortalis infirmitas. Per quod patet secunda prædictæ assertionis pars rationabilis & uera.

De consec. dis. II. c. liquido.

Ad hoc accedit doctrina Pauli qui Corinthios corripuit quòd pransi communicabant, potissimum diuites, unde ait. Unusquisq; enim cœnã suam præsumit, hoc est, præoccupat ad manducandum. Et alius quidem (scilicet pauper) esurit, alius autem (uidelicet opulentus

1. Corin. II.

pulentus) ebrius est. Et hoc faciebant in ecclesia quasi uolentes dominicã repræsentare cœnam, in qua Christus prius cœnauit cum discipulis. Ob hoc subdit. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut ecclesiam dei contemnitis, in ea manducando & bibendo, & confunditis eos (scilicet pauperes) qui non habent ad manducandum? Subiungit circa finem. Si quis esurit, domi manducet, uidelicet post communionem & diuinorum expletionem, ut non in iudicium conueniatis. Congruit nihilominus ut hæc communio inter missarum fiat solennia, in quibus solenniter recolitur dominicæ passionis memoria, & populus in spiritu adunatus confluit.

ERROR TRICESIMVS SECVNDVS

Errant *igitur qui prætextu imitationis cænæ Christi affirmant prius cænandum, aut licite sumenda cibaria, uel pocula quæque, & postea communicandum quod plerisq; facto quoq; practicant.* Horum *fundamentum ruinosum est, uolentium Christum imitari in his, in quibus non præbuit imitationis exemplum, sed figuras ueteres impleuit, & patris uoluntatem consumauit, Studeant hij eum emulari in his quæ uirtutis & sanctitatis sunt, ut discant ab eo, quia mitis est & humilis corde, & non contra totã ecclesiam & approbatissimum eius usum superbiant, cõtumaciter* Math. 11.

agant, et matrem suam confundere satagant, tāquam degeneres filij, matris turpitudinem discooperire conantes, & non immerito ob hoc dei maledictionem incursuri.

ASSERTIO VICESIMAOCTAVA

an præmittenda communioni præparatoria.

Nullus fidelis non præparatus, debet ad hoc sacramentum accedere, si non uult illud indigne & ad iudicium sumere. Probatio sumitur ex sancto Paulo ad Corinth. dicente. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus domini. Ratio huius est, nam panis hic filiorum est, non mittendus canibus & porcis. Sumpturus ergo panem istum, dijudicare illum ab alijs escis uentris debet, cum sit esca mentis. Est autem duplex præparatio. Vna principalis & necessario requisita, sine qua indigne sumitur. Alia accessoria & de bene esse, qua etiam obmissa, nihilominus digne sumi potest.

1. Corin. 11.

bifaria præparatio ad sacramenti sumptionē principaliū

Prima stat in suijpsius probatione, iuxta Pauli sententiam. Debet autem homo cōmunicaturus, uel ad altare accessurus se probare, de quatuor ad uerum, & uiuum Christianum requisitis.

Primū probamē dig-

Horum primum, quod & aliorum est fundamentum, est Fides, signanter circa hoc sacramentum necessaria

cessaria, ut credat hoc sacramentum à Christo, ex maxima charitate, in sui memoriam, nobis tanq̃ uale preciosissimum, ad nostram spiritualem refectionem donatum. *ne sumptionis est fides uera & uiua.*

Secundum. Spes, ex hoc concipiendo fiduciam, ut qui seipsum donauit nobis tam mirabili modo, donabit nobis (omni depulsa ambiguitate) quicq̃ pecierimus ad nostram expediens salutem. *Spes*

Tertium. Charitas, ut talis ac tantus redametur amator. Hæc tria omni Christiano uero & uiuo sunt necessaria. *Charitas*

Ex quibus quartum necessaria consequentia pullulat, uidelicet, Christiana uita, Hæc iuste hunc sortitur titulum, si secundum Christi administretur instituta. Porro si communicaturus in his quatuor defectum senserit, nec talem se inuenerit, affectet autem corde non ficto talis esse, secure accedat, neq; enim Deus nos iudicat tales quales hucusq; fuimus, sed quales ex corde esse cupimus. Vnde inueniens bonam uoluntatem, facillime pristinæ conuersationis condonabit delicta. Requiruntur ergo summarie fides uera & uiua, ac bona uoluntas. *Christiana uita.*

Huic opponitur. Nam ex his infertur inconueniẽs, quòd nullus peccator ad hoc accedere debet sacramentum, nec dignus censebitur, nisi uerus & uiuus Christianus, & cum nemo sit sine peccato, sequitur, quòd nullus accedere *Obiectio*

lus accedere debeat.

Dilutio Responsio. Peccator conuersus ad Deum per ueram compunctionem, amodo non censetur peccator, quia Deus sibi non imputat peccatum, sed per misericordiam & dei gratiam, factus est filius Dei per adoptionem, & ideo pane filiorum dignus, Deus etenim non præterita sed præsentē cordis dispositionem respicit. Per hoc intelligitur uerbū Christi. Non est opus

Math. 9 ualentibus medicus, sed male habentibus, utrunq; ad iudicium hominis referendo, ut dicatur ualens, qui in

Quisnā dicatur ualēs. oculis proprijs sibi iustus uidetur. Talis equidem cum sibi uideatur sanus, ut Phariseus in templo, medicum

Lucæ. 18. non requirit, nec eum sibi iudicat necessarium. Male

Male habēs dicitur peccator. autem habens est peccator, qui reatum suum agnoscit. & quia se infirmum iudicat, ardenti desyderio medicum requirit, anhelatq; ad medicinam sumendam, cuiusmodi est hoc sacramentum, ad medendas equidem infirmitates est efficacißimū. Vnde cum dicitur, quod peccatores ab hoc abstinere debent sacramento, plane de his dicitur, qui in peccato per uoluntatem & cōplacentiam perdurant.

Accessoria preparatio Secunda, & accessoria præparatio est, quæ fit per orationes, meditationes, corporis conseruatam mundiciam, & similia, quæ si deessent, non indignum facerent, modo principalia assint, inter quæ principalia etiam Christi memoria signanter (maxime eius charitatis

tatis

tatis in cruce & paßione nobis ostensæ) est connumerandi, cum dicat. Hoc facite in mei recordationem.

ERROR TRICESIMVSTERTIVS

Hinc errant, qui deuotas præparationes pro modulo humanæ fragilitatis tanq̃ hypocriticas reprobant, cum ex syncera deuotione et reuerentia ad illud sacramentum pullulent, modo in eis non ponatur dignitatis & iusticiæ fiducia. Sapientis sententia est. Qui timet Deum, nihil negligit quod quamuis principaliter referatur ad necessaria ad salutem, nihilominus timentes Deum inquirunt quæ beneplacita sunt ei, & præparabunt corda sua, ac in conspectu illius sanctificabunt animas suas. Ecclesia. 7. Ecclesia. 2.

ERROR TRICESIMVSQVARTVS

Errant præterea, qui ad communionem huius sacramenti dignam, asserunt solam sufficere fidem. Causa erroris est, quia non solum primariam institutionẽ, sed & omnem iusticiam & perfectionẽ, fidei tribuũt, & in fide consistere affirmãt, contra Christũ & Paulum, qui perfectum Christianismũ in charitate constituunt. Vnde probatio in fide, necessaria quidem communicanti est, uerum si sola fuerit, erit diminuta, quin potißima omnium in charitate est. Math. 22. Coloss. 3.

ASSERTIO VICESIMANONA
de recordatione testamenti.

Etsi sacramentum Eucharistiæ non sit nouum testamentum

Eucharistia est noui te= stamenti re cordatio.

testamentum, est tamen noui testamenti recordatio.

Prima huius assertionis pars supra est probata, assertione undecima.

Circa uero secundæ partis declarationem reuocanda ad memoriam sunt ea, quæ in alio scripto de nouo testamento sunt dicta, uidelicet quid sit testamentum, & quid continet.

Testamētū quid sit.

Est autem testamentum, notificatio bonorum, quæ testator legat, siue scripto, siue uiua uoce fiat. Secundū hoc, testamentum nouum, sunt uerba domini Iesu per Euangelistas, ut ipsius notarios fideles & ueraces descripta, bonorum spiritualium promissiones continentia, uel explicantia.

Cōsectariū pulchrū notatu dignis.

Ex quo infertur, quod omnes promissiones scripturæ diuinæ bonorum spiritualium, in utroq; testamēto exaratæ, ad nouum spectant testamentum. Et omnes prophetæ, eas denunciantes, notarij fuerunt & Euangelistæ ipsius Christi, qui est hodie & heri, ipse & in secula. Nam (Petro teste) huic omnes prophetæ testimonium perhibent, differentes ab Euangelistis noui testamenti per hoc, quòd illi denunciauerunt futurum, isti denunciant factum. Cum autem Christus testator, in cruce testamentum suum confirmauerit, in ea moriendo & sanguinē fundendo, probabile uidetur, quod uerba quæ in cruce protulit, omnē sui testamēti uim cōtineāt

Hebre.13. Act.10. Hebre.9.

Protulit autem uerba septem, Euāgelistis testibus.

unde

Vnde primo uerbo, tanq̃ prima sui testamẽti clausula legauit peccatoribus remißionem peccatorum, cũ clamore ualido & lachrymis clamans. Pater ignosce illis non enim sciunt quid faciũt. Et utiq; exauditus est pro sua reuerentia. Vnde in Ioanne dicitur. Iesus eleuatis sursum oculis, dixit. Pater gratias ago tibi, quoniam exaudisti me, ego autem sciebam, q̃ semper me audis. Primus articulus in testamento Christi. Hebre. 5. Lucæ. 23. Ioannis. 11.

Secundo articulo, post remißionem peccatorũ, legauit paradisum, & hoc in persona dextri latronis, fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus uenit in hunc mundum, peccatores saluos facere, quorum ego primus sum ait Apostolus. In hoc equidẽ latrone, omnes electi sunt designati, qui in primo parẽte sunt latrocinati, dicente Apostolo. Per unum hominem in hunc mundum intrauit peccatum, & per peccatum mors. Et ita in omnes homines mors pertransijt in quo omnes peccauerunt. Per paradisum autem intelligitur beatitudo, nam latro decedẽs descendit post Christum ad limbum sanctorum patrum, quo Christus expirans descẽderat de cruce, ut in apostolico dicitur symbolo. Descendit ad inferna. Vidit tamen ibi diuinam essentiam, quæ ipsum beatificabat & paradisianis delicijs reficiebat. Secundus articulus. Lucæ. 23. 1. Corin. 1. Roma. 5. Paradisus est beatitudo obiectiua.

Dicunt hic aliqui, quòd intrauit purgatorium, & paradisus fuit sibi pro purgatorio. Si hoc uerũ esset, sequeretur, q̃ & Christus fuisset in purgatorio. Nam Nota

dixit

dixit latroni mecum eris: fuit ergo latro cum Christo.

Tertius articulus. Tertio puncto legauit charissimam matrem suam naturalem, in matrem adoptiuam Ioanni, in quo Ioanne iterato intelliguntur electi, prius per latronem, inquantum peccatores, modo per Ioannem, inquantum gratiam consecuti (interpretatur enim in quo gratia) & uiceuersa, Ioannem, tanquam adoptiuum filium suae matri. Nam sicut Christus naturalis dei patris filius, fratres habere uoluit per spiritum adoptionis filiorum dei, in quo clamamus abba pater, propter quod non confunditur fratres eos uocare, dicens. Nuntiabo nomen tuum fratribus meis. Sic uoluit matrem suam habere filios adoptiuos. Vnde per hunc articulum in testamento suo legauit nobis preciosissimum thesaurum quem post seipsum habebat. Illa enim uirgo sanctissima, Deo patri post suum filium charissima est super omnes homines & angelos exaltata, in quam summam gratiae & gloriae plenitudinem pure creatae personae conuenientem transfudit. Hanc talem ac tantam nobis matrem in esse spirituali dedit, ut & in hoc, sermo dei patris uerificari possit, ad filium & spiritum sanctum loquentis. Non est bonum esse hominem (scilicet secundum Adam de coelo coelestem) solum faciamus ei adiutorium simile sibi, non Euam, sed auem, ut sit mater omnium uiuentium, uita gratiae sicut illa prima Eua mater omnium uiuentium uita naturae.

[Margin notes: Ioannis. 19 — Per Ioannem accipe peccatores qui gratiam consecuti sunt. — Roma. 8. — Hebrae. 2. — Psal. 21. — Gene. 2. — 1. Corin. 15 — Gene. 3.]

Obijcis

Obijcis forte. Ex hoc sequitur, quòd Christus non fuit ad spiritualem nostram generationem sufficiens, si ad eam mater quoq; exigitur. Obiectio

Responsio. Hoc non est ob spiritualis nostri regeneratoris insufficientiam, sed ob quandam quadraturam ad generationem carnalem, magis uero ob Dei patris beneplacitum, qui tantum hanc electissimam suam amauit, & appreciatus est filiam, ut decerneret non nisi per eam nobis & toti humano generi salutem & redemptionem affuturam, ipsa enim dei filium nobis protulit fratrem. Dilutio

Prætendunt nonnulli zelum pro gloria filij, contra gloriam matris, forte excitaturi filio inuidiam contra gloriam suæ matris. Vnde quidam insulsus sycophanta nuper transuertit & peruertit solennem illam antiphonam Salue regina, transferens maternæ gloriæ titulos in filium, putans grande obsequium se filio præstiturum, si his spoliauerit matrem. Stolidus plane & insipiens, qui inter prædicata proprie dicta, & analogice attributa discriminare nescit. Si tu iustus forte & sanctus, matris huius nō eges suffragio, quin per teipsum accedere potes & audes ad Dei conspectum, sicut Phariseus in templo, sine, ut saltem peccatores, confusas & turbatas habentes conscientias, hoc non priuentur & destituantur Ausculta tu ludi literarij magister, nosti quē uelim, arrige aures. Lucæ. 18.

destituantur solatio, plena fidutia recurrentes ad matrem misericordissimam, in qua nullam ex scripturis sanctis inuenimus asperitatem, ipsam pulsando preci bus, ut pro eis patrocinetur apud filium, qui etsi redemptor & reconciliator noster est, iudex nihilominus est, & iustus, nam pater omne iudicium dedit filio quod imperfecta & pusilla reformidat fides. Porro ipsa pulsata proculdubio pulsabit filium charissimũ, qui ipsam (nihil negans) honorat, filius nihilominus pulsatus, patrem quoq; pulsabit. Aduocatus etenim noster est. Hæc non iustorum, sed peccatorum scala. Caue ne hanc prætereas, & aliunde ascendere (tanq̃ iustus tuæ fidei fidens) quæras. In hac etenim complacitum est deo patri, qui in humilitate nostra memor erit nostri. Cõplacitum quoq; filio est, ut omnis gloria creatæ personæ poßibilis, in suam dilectissimam transfundatur matrem, non minus gratum habebit quicquam suæ impenditur genitrici, q̃ si impendatur sibijpsi, citra diuinum honorem sibi propriũ, & nulli creaturæ cõmunicabilẽ, sine creatoris & redemptoris blasphemia, quales nõ sunt tituli deprompti in Salue regina, Quid decerpitur filio, si mater sua, mater nuncupetur misericordiæ, quæ fontem misericordiæ in utero suo sanctissimo scaturientem nobis eduxit in lucem, ut non immerito Mardochei somnium ad ipsam per Hester figuratam poßit adoptari, paruus fons qui creuit in fluuium

Christus et reconciliator & iudex noster, ob idq; timendus est
Ioannis. 5.
1. Ioãnis. 2.

Maria dicitur regina misericordiæ.
Hester. 10.

influuium (scilicet per filium) & in lucem solemq; conuersus est, & in aquas plurimas redundauit. Iudæis quoq; (hoc est uere confitentibus) noua lux oriri uisa est, gaudiũ, honor & tripudium, si lucem hanc in oculis tuis ferre nequis, aut forte inspicere dedignaris, gaudio quoq; honore & tripudio Iudæorũ priuaberis Hester.8.

Quid si prædicetur uita, non quidem per essentiã, uerũ, uti essentiali coniunctissima, per quam in omne humanum genus transfudit uitam, ut non iniuste uita uocitetur, non qualicunq;, sed excellentissima analogia. Vtinam tu quoq; de illo dulcissimo fonte deiformẽ eius gustares dulcedinẽ. Reuera nõ dulcissimã modo, uerum quoq; dulcedinem eam nũcupares in abstracto. Maria dicitur uita. Maria est dulcedo nostra.

Spes deniq; sub principali spe Christo, si asseratur, nec patri nec filio irrogatur iniuria, nempe multiplex est spes multiuidum & spei obiectum. Spes nostra

Cæterum, cum à peccatoribus implorata fidelissimum ipsis apud Deum impertitur patrocinium, fidelis aduocatæ et miserorum adiutricis titulum iure, sine cuiuspiam mereretur iniuria. Pondera & bene mastica testatoris tui uerba prædicta, quibus excellẽtissimam suam matrem & uirginem (non uni Ioanni) sed uni omnium electorum consortio deputauit in matrem. Sicut non uni latroni, uerum toti humano generi latrocinanti dedit (in prædestinatis) paradisum. Mastica (inquam) hæc uerba, Mulier ecce filius tuus, Ioannes ecce Maria est aduocata nostra.

mater tua. Et omnia prædicta prædicata in illorũ uirtute reperies comprehensa, an non gloriaberis, & de tanta tripudiabis matre? quæ gratia plena, miserationibus affluens, misericordiæ tibi, sicut dilecto filio, aperiet gremium? Quæ sicut nunq̃ à filio suo repulsam patitur, sic nec ab ea repelli formidabis. Porro si mater est tua uitã tibi tribuit, nam uitam prolis à matre esse, quis inficias ibit? Proinde si filiali affectu & amore ipsam complexus fueris, exuberantißimam pectoris eius senties dulcedinem, ut certa experientia matrem tuam, dulcedinem tuam, ac solacium ducas. Cæterum quis filiorum non grandem ad matrem suam spem & fiduciam gerat. Matris deniq; est pro prole esse solicitam, ut quod ipsa donare nequit per se, ab eo postulet, qui ipsam pro filijs orantem exaudit, ut materno debito nuncupetur filiorum aduocata. En antiphona, Salue regina, in testamento nostri seruatoris uirtualiter est comprehensa. Vnde si successor & hæres testamenti esse uolueris, hunc ponderosißimum testamenti punctum non floccipendes. Ob hunc siquidem syncera & ardenti deuotione fideles omnes eam uenerari tenentur. Hæc enim est uoluntas Dei patris et dilecti filij sui, quam spiritussanctus exequitur, fidelium corda excitans, & in eius laudem ac suffragij implorationem inflammans, ut ipsa maternum circa nos compleat

Salue regina.

compleat officium. Vnde qui nulla ad eam afficitur deuotione, timere habebit ne forte à filiorum suorum exors sit munere.

Quartus articulus per quartum Christi uerbum expressus, & per duos tabelliones adnotatus est, cum Iesus circa horam nonam clamauit uoce magna dicens Eli Eli lama asabthani, hoc est, Deus meus Deus meus, cur deseruisti me. Hic sonat diuini subsidij negationem. Et nihilominus ingentem & stupendam dat intelligere affirmationem. Ex immensa etenim erga nos charitate, Deus pater proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo etiam non omnia nobis cum illo donauit, unde ipse filius dit. Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum filium suum daret, dedit autem tanta ipsum liberalitate, quòd penè in paßione eius ipsum à se alienauit, ut filius se à patre derelictum clamet. Quid ergo illa derelictio notat, nisi nostram perpetuam ad Deum unionem. Dat ergo intelligere æternam in beatitudine securitatem. Vnde bonus articulus est & præcellens.

Quartus articulus. Math. 27. Marci. 15. Roma. 8. Ioannis. 3.

Quintus quintum complectitur uerbum, à Ioanne exceptum Sitio uerbum ponderosissimum. Sitiebat quidem dominus Iesus corporaliter, de qua siti & in

Quintus articulus.

Ioannis.19. Psalmo ait. In siti mea potauerunt me aceto. Sed sicut
Psal.68. ante paßionem alium à cōmuni esu cibum esuriebat, ipso teste. Ego cibum habeo mãducare, quem uos nescitis: quem edere uolebat, cum in ficulnea fructum esu
Ioannis.4. riens quærebat, sic alium sitiebat potum, nō pro se so
Math.21. lo capite, sed & pro omnibus suis membris, ab illo fonte aridis. Hic fons est plenitudo gloriæ. Est siquidem fluuius ille igneus & rapidus, qui egreditur à facie sedentis in throno, fluuius aquæ uiuæ, splendidus tanquam cristallum, plenißimam designans beatorum sacietatem.
Danie.7. tem. Hunc sitiebat nobis omnibus membris suis arentibus,
Apoc.22. tibus, & à patre petebat, & in hac quoq; siti & clamore pro nobis facto, exauditus est à patre, pro sua reuerentia. In illa ergo certißima sui desyderij exaudi
Hebræ.5. tione pro nobis à patre, legauit nobis in æterna beatitudine omnem beatitudinis plenitudinem, & omnium desyderiorum sacietatem. O fœlix hic articulus in testamento Christi.

Sextus proinde per uerbum sextum adnotatur.
Sextus articulus. Consummatum est, opulentißimum nobis adfert gaudium. Signat enim plenam omnium nostrarum miseri
Ioannis.19. arum, & pœnæ & culpæ in uictoria Christi absumptionem, absorpta est enim mors in uictoria, plenū con
1.Corin.15. tra hostes triumphum, plenam omnium gratiarum adeptionem, plenam omnium nostræ salutis & saluationis

tionis figurarum completionem, plenam omnium charismatum & donorum ex capite in membra diffusionem, plenam omnium laborum & dolorum cunctorum electorum in capite consummationem, plenam denique omnium obstaculorum, coeli ingressum prohibentium, dimotionem.

Nihil superest nisi ut septima concludatur & connectatur clausula, ac consummatur testamentum, testatorque; tum pro se, tum pro omnibus suis membris dicat, uoce magna clamans. Pater in manus tuas commēdo spiritum meum: qua uoce emittens spiritum cōsummauit testamentum, quod in morte testatoris robur accepit & confirmatur. Claret ex hoc, quod nullo impedimento ex parte fidelis membri Christi existente in eius decessu, illico spiritus in manu dei recipitur ad aeternam gloriam, sicut pater filium post expirationē in suam recoepit gloriam, in cuius signum aperiri lanceā latus uoluit, apertam coeli demōstrando portam. Septimus articulus. Lucae.23. Hebrae.9.

Ecce testamentum domini Iesu nostri saluatoris, omnia diuina promissa in utroque instrumento per fideles notarios & tabelliones excepta complectens, ut nullum reperiri possit, quod non in horum comprehendatur uirtute.

ASSERTIO TRICESIMA QVID *agendum sit sub missa.*

christus missam suā in cœna incœpit, in cruce uero expleuit.

In missa & sub missa id fideli est agendum, ad quod à Christo est instituta. Instituit autem eam in sui memoriam. Igitur reducenda est ad memoriam sua missa, quam in cœna incœpit & in cruce consummauit. Vnde passio sua est recolenda, quasi coràm posita, meditando, quis patitur, quid patitur, quare patitur.

Primū. quis patitur, demiretur.

Horum primum in uehementem ducere debet admirationem. Cum enim fidelis in lumine fidei perpendit deuota mente Christum Dei filium, Deum & hominem tantum humiliari, in stuporem adducitur, atq; ad imitandum tantæ dignationis & humilitatis exemplum, uehementius incitatur.

Secundum, quid patitur, ad compatiendum excitat.

Secundum ad compaßionem excitat, cum paſſionis qualitatem & quantitatem fideli mente pertractat. Proinde tantæ paſſionis & humiliationis cauſſam diſquirens. & pro quo patitur conſiderans, merito in deuotam conſurgit gratiarum actionem.

Pro quo patitur, & quā ob causſam.

Ioannis. 3.

Roma. 8.

Cæterum paſſionis recogitando motiuum (ampliſſimam uidelicet charitatem) totus per redamationis incendium liqueſcere debet in dilectum. Sic equidem deus dilexit mundum, ut unigenitum ſuum daret. Ex quibus plena ad Deum concipitur ſpes & fiducia, quæq; impetrandi optata, qui enim proprio filio ſuo non pepercit, ſed cum pro omnibus nobis tradidit. Quomodo non

do non omnia nobis cum ipso donabit? Hæc omnia in suo testamento uirtualiter comprehenduntur, quod in cruce expressit, ut est dictum. Pro cuius adeptione sub missa exorandus est feruenter & deuote, sicuti & illius est memoriale. Porro in eleuatione corporis & sanguinis facta consecratione, deuoto latriæ cultu est adorandus, et Deo patri quasi coràm positus (pro malorum omnium depulsione, necnon bonorum adeptione) sistendus. Hæc sunt potiora & salubriora sub missa exercitia, quæ principaliter in spiritu gerũtur, quibus externa adminiculari debent. Missa est Christi passionis memoriale.

ASSERTIO TRICESIMA- PRIMA IN QVA LINGVA SIT MISSA LEGENDA.

In ecclesia latina (quæ occidentalis nuncupatur) missa idiomate latino est legenda, siue decantanda. Hæc quatuor persuadetur motiuis. Quòd in ecclesia nostra, missa idiomate latino legẽda sit, prima persuasio.

Primum est consuetudo generalis & uetustissima, quæ, in his quæ sacram scripturam non oppugnant, nec corruptelam adducunt, grandis est authoritatis, ut non immerito eam uiolans, temerarius iudicetur.

Secundum. Euitanda in ecclesia scissura, qua nil odiosius, quippe cum in unitatem sit cõgregata, in unitatẽ (inquam) spiritus & uitæ, fidei & charitatis, quam Secunda

sequitur unitas sacramentorum, & quo ad participationem, & quo ad administratione, tam quo ad actu, quàm quo ad agendi modum. In his quippe omnis discrepantia est odiosa.

Tertia

Tertium. Eo quòd ad hoc nulla impellit necessitas, patet. Nam omnia præfata mentalia exercitia sub missa haberi possunt, quantumlibet missæ assistens, uerba à sacerdote prolata non intelligat. Tam uberrimam siquidem meditanti subministrāt deuotionis foecunditatem, quòd ad singula masticanda, totus homo minus sufficiens est.

Quarta persuasio.

Quartum. Ideomatis uariatio non notabilem affert fructum, saltem non talem ac tantum, qui detrimēta inde exorta compenset.

Obiectio prima

Opponitur huic. Primo. quòd missa propter uerbum Dei est instituta uidelicet ad prædicationem Euangelij. Quod populares non intelligunt nisi in uernacula promulgetur lingua. Et sic ieiuni abscedunt. Idem argumentum de uerbis consecrationis proponitur.

Dilutio

Responsio. A saluatore nostro aliam institutionis caussam non habemus expressam, nisi in sui memoriā. Quæ per supradictas meditationes habetur opulentissime, etiam sine auditu & intellectu Euāgelij quod in missa legitur. Vnde negatur maior propositio, quòd missa propter Euangelium prædicandum sit instituta,

cum non

cum non probetur ex scriptura. Deniq; Euangelium potest ante uel post missam cum congrua interpretatione, magis oportune, magisq; fructuose, promulgari.

Cæterum, cum omnibus fidelibus certißima fide sit persuasum, facta consecratione, esse in altari uerũ Christi corpus uerumq; sanguinem. Nulla necessitas, aut fœcunda commoditas inducit ad cõsecrationis uerba, eleuata uoce pronunctianda.

Secundo obijcitur amplior deuotio, quæ in auditore missæ illiterato nasceretur, si singula in familiari sibi idiomate profertur. Obiectio. 2

Responsio. Argumentum hoc non tenet in omnibus auditoribus, plærisq; etenim amplior deuotionis subministratur oportunitas, dum in silentio hominis exterioris, homo interior intra seipsum recollectus, eleuat se super se, ut audiat quid in eo loquatur dominus Deus, ac serena mente & tranquillo animo huius sacramenti pertractat mysteria. Porro etsi in nonnullis argumentum habet locum. Non est tamen ponderis tanti, ut ob tantillum tanta fiat in ecclesia nouatio, aut ob hoc sit facienda scissura. Dilutio Psal. 84.

Tertio. Illa nouatio uel scissura quæ proponitur euitanda, non est in essentialibus huius sacramenti, sed tantum in modo proferendi & legendi missam, per consequens nulla formidanda est periculosa scissura. Obiectio. 3

Responsio. Ingenti opera & diligentia prouiden- Dilutio

 dum est

dum est, ne quidpiam in ecclesia nouitatis introducatur, sine communi ecclesiæ consensu (quantumuis minoris ponderis æstimetur) ob damnosas corruptelas inde sequentes. Nam *si concedatur, ecclesiam in talibus quæ communem sacramētorū usum respiciunt errasse, aut perperam quid egisse, quid in alijs remanebit soliditatis.*

Idem *iudicium de omnibus missæ & aliorum sacramentorum ceremonijs & ritibus est solertius obseruandum.* Etenim *omnis nouitas & singularitas in his & similibus debet fidelibus esse suspecta, & ob id repudianda, tanq̃ odiosa, quia communis pacis & fraternitatis, nedum turbatiua, uerum quoq; destructiua* Ex *quo facile conijci potest talia à turbatore fraternitatis procurari, qui sicut in ecclesia angelorum olim induxit discidium, sic in hodiernum usq; diem in ecclesia uiatorum diuortia suscitat.* Accedit *horum euidens argumentum, nimis pertinax nouitatum huiusmodi defensio, uerum hæc in præsentiarum missa facio.*

ASSERTIO TRICESIMASECVNDA DE FRVCTIBVS COMMVNIONIS.

De *fructibus communionis.*

Sacramentum hoc benedictum Eucharistiæ, *quia per modum cibi reficientis est à* Deo *nobis donatum, diuersimode in diuersis operatur & fructificat, quemadmodum cibus materialis, secundum uarias hominum con=*

num conditiones & qualitates. Vnde sicut cibus corporalis ad hoc ut sit homini proficuus debet esse bene decoctus, sale & aromaticis speciebus confectus, dentibus masticatus, et stomachum habeat, peccante materia exoneratum necesse est, caloreq́; naturali uigoratum, non dispari modo. Cibus hic spiritualis per fidem est decoquendus, deuotione & omnium uirtutum genere, quasi speciebus aromaticis conficiendus, masticandus proinde per probationem, iuxta illud Apostoli. Probet seipsum homo. superius adductum & interpretatum. Expetit insuper stomachum (hoc est) cor humanum à cupiditate omnium malorum radice exoneratum, calore quoq; supernaturali uidelicet charitate uigoratum. Quibus subsistentibus conseruat suscipientem in esse supernaturali uidelicet in esse gratiæ, restaurat deperditum, uidelicet prioris uitæ negligentiam, fouet calorem supernaturalem scilicet charitatem, totum corpus roborat per spem. In eo siquidem omnia membra (id est) omnes uires communicant, & ex eo nutrimentum sumunt, ipsasq; ad actiones sibi conuenientes uigorat, ut in conuersationē sanctam exeant tanq̃ in opera uitalia ueri Christiani. Hos effectus & similes operatur in sanis, respectu quorum panis angelorum est, omne delectamentum in se habens, & omnis saporis suauitatem. Nec tamen solis his est hic cibus donatus per modum

Nota pulchram metaphoram.

1. Corin. 11

Sapien. 16.

reficientis

reficientis & confortantis panis, Sed & infirmis me
Medela infirmis. dicamentum est. His utiq; infirmis qui infirmitates su-
as sentientes, ad medicum recurrunt & (certa spe sa-
nitatis consequendæ) medici regulas solicitius custo-
Math.9. dire statuunt. Neq; enim (ipso medico teste) opus est
ualentibus medicus, sed male habentibus. Sitiẽtes itaq;
ad aquas uiuas, esurientes ad panem angelorum, lan-
guentes ad medicum, ueneno infecti ad anthidotum,
letaliter saucij ad Samaritanum Chirurgicum, anhelo
festinent spiritu. Quisq; etenim in illo cõuiuio inueni
et quod desyderat, si saltem bona & salubria concu-
piscit.

Cæterum omnium huius sanctißimi sacramenti fru
ctuum exuberantiam, nullum (reor) posse explicari.
Nimirũ cum in eo omnis boni fontale suscipiatur prin
cipium, omnis saporis influens suauitatem, si cor ab
extraneo tum amore, tum sapore inuenerit exonera-
tum. Equidem ubi uasa uacua non sunt, necesse erit ole
um, ne fluat, cohiberi. Communicaturus ergo elonget
Psal.54. fugiens & uitia, & uitiorum incentiua. Et maneat in
Treno.3. solitudine cum Propheta. Sedeat solitarius & taceat,
ac sic leuet se super se. Expectet eum qui saluum faciat
Math.6. eũ à pusillanimitate spiritus, & huius seculi tempesta
te. Intret in cordis sui cubiculum, & clauso sensuum
Psal.84. exteriorum ostio, oret patrem in secreto silentio. Au-
diat ibidem quid in se loquatur dominus, quoniam lo-

quetur